1.6.6

HIRCI MVLCTRA.

DE SANGVINIS MISSIONE in quadam febre quotidiana *continua, disceptatio* MEDICA.

Excudebat CANTRELLVS LEGG,
Almæ CANTABRIGIÆ *Vniuersitatis*
Typographus. 1613.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

AMPLISSIMIS CLARISSIMISQVE VIRIS, LONDINENSIS Collegij Medicis.

GASPAR DESPOTINVS VENETVS P. P. F.

RES mihi fuit, doctissimi viri, his proximis diebus cum quodam homine ex eorum numero, qui se Medicos profitentur super missione sanguinis. Quam cum instituissem pro cuiusdam egroti salute, nec sine multis, grauibusq; rationibus, & re mecum diligenter, penitusq; considerata, ille non solùm reprehendere voluit, sed cum rationem flagitarem, superbè, & incimiliter ad me rescripsit. Eas literas, quasi re praclarè gesta, multis mortalibus ostendit, & me suo indicio damnatum, etsi causa inaudita, confodit. Hunc ego Iudicem, & hoc tribunal eiuro, & (vt illud Scipionis vsurpem è Cicerone) non mihi ista iniqua eiuro, verùm omnibus. Itaque ad vos prouoco, Patres optimi. Quorum non solùm sapientia vbique celeberrima est, verùm etiam singularis vigilantia, qua Medicam artem à tot abusibus, & turpitudinibus, quibus hac tempestate contaminatur, pro viribus purgatis, & ab impostorum arrogantia vindicatis. Ad vos ergo fidenter accedo, rogoq;, & obsecro, vt huius controversiæ ab Aduersario primùm voce petulanter, typis nunc à me modestè satis, vt arbitror, institutæ, cognitionem suscipiatis. Cui cur titulum fecerim HIRCI MVLCTRAM, ne miremini: Est enim vt mihi quidem videtur, persimilis operi, quod insumpsi, siue ad famam meam, siue ad scriptum ipsum, quod hic examino, respicio; vereor etiam, ne lectorem meum adigam eò, vt cribrum supponat; sed de inscriptione quicquid sit, quam ipsi aduersario me debere profiteor, vt ex eius Epistola hìc inserta, si tanti vobis erit, videbitis, vos viri ornatissimi precor, vt de re ipsa, non de me ex hac contentione iudicetis, qui mecum optimè actum putabo,

tabo, [illegible] & [illegible] ad [illegible] ro-
uocauerim, [illegible] Erit ali-
às, cum primum ab [illegible] fuero, unde de meis [illegible] lite-
rarum studijs, sine [illegible] facilius decernere possitis. Extremum il-
lud: Date veniam, si importunius, vobis nondum cognitus, gratiora
vestra studia [illegible] videbor. Nam & Iudicem
omnino hæc causa postulabat, & vos eâ tum authoritate, tum integri-
tate estis, à quibus ad neminem in toto hoc orbe Britannico prouocare
liceat; Valete. Buria S. Edmundi in Suffolcia Angliæ, prid. Non.
Iulij. 1613.

Vestris A. A. deditissimus,

GASPAR DESPOTINVS.

HIRCI MVLCTRA.

POssem tacere, & vir in his regionibus peregrinus oblatrantis æmuli calumnias vel dissimulare, vel negligere, de cuius præsertim insciția, saltem apud doctos, de moribus apud omnes, constet. Qui paucis ab hinc annis ex abrupto (vt aiunt) nullo doctore, nullo promotore, se medicum ostendit, iuxta vulgare illud,

" *Fingunt se medicos omnes, Idiota, Sacerdos,*
" *Iudæus, Monachus, Histrio, Rasor, Anus. &c.*

Neq; verò medicum ex triuio, sed Supremum medicorum censorem. Cuius inuidiã neq; summus eius amicus, de ipso alioquin optimè meritus, olim potuit effugere. Sed mitto homines, quorũ vix credo vnum vllo tempore ab ipso laudatum. Infælices libri, qui in eius incurrunt oculos; inuenit statim, si sint Theologici, Aristotelem malè citatum, si Medici, Poetarum sententias prauè interpositas, vt singuli illico aliquâ iugulentur censurâ, quæ in angulis longè ab authorum auribus tutò irrogatur. Equidem cùm anteactam meam ætatem recolo, annosq; in Medicinæ & studijs, & vsu non infæliciter (absit inuidia) positos, existimationi meæ iniuriã videor facturus, si me cum tyrone, qui repentè se medicum fecerit, in certamine de rebus medicis componam. Atqui Galenus & ipse, cum Romæ esset hospes, sæpe à Romanorum medicorum calumnijs se vindicauit; Ego autem iam vltra biennium in hoc clementissimo cœlo eam omnium ordinum comitatem sum expertus, vt non metuam ne cuiusquã boni offensionẽ incurram, si me contra Aduersarij importunitatem defendam. Nec hanc humanitatem in cæteris modò, sed & in medicis cognoui, (de doctis viris loquor, non de hac noua Empiricorum secta) à quibus adeo libenter visus, ne dicam cum honore sum habitus, vt dum hîc maneo, patriæ oblitus, me prorsus Britannum factum credam. Horum verò gratiam me initurum scio, dum ignorantem arrogantiam impunè exultantem contundo, aliudq; esse ostendo in angulis alienam famam arrodere, & sub peritorũ

 Iudicum

Iudicum arbitrio in solem, & puluerem Medicum descendere. Iactetur igitur hęc alea, vnde si nullus honos, at communis saltem vtilitas sperari potest. Cum primùm in hoc oppidum veni, & de arte, quam in Patria profitebar, fuit vulgatum. Ad me tunc inuitum plures consilij causâ accessere; Inter cæteros, fuit honesta quædam mulier, quam cum purgare vellem, accepi amethodum hunc Thessalum dixisse, quòd si pharmacum sumeret, esset ipsosmet pulmones deiectura, quoniam eorum consumptione (sic vocabat, vt puto, tabem pulmonum vitio ortam) tentaretur. Risi, intellexeram siquidem ipsum tam latas, & plusquam sesquipedales sententias sæpius proferre solitum, & curaui, vt homo in consilium vocaretur. Abnuit ille, cuius rei adsunt testes, qui tunc amplo oblato munere ipsum allicere conati sunt, chyrographum tamen dedit, quo Anglico sermone significabat, ægrotantem pulmonum consumptione laborare, & quòd in eius rei fidē propria manu nomen suum subscribebat. O præclaram probationem! ò inuiolabilem authoritatem! hiccinè tuus est consulendi modus? Hæc ratio morbos explicandi, symptomata ostendendi, causas inuestigandi, præsidia adaptandi? Galenus monet non debere Medicos, se tanquam reges gerere statuendo, & determinando, sed tanquam philosophos inueniendo, & probando. Huic Thessalo satis est ad dictorum omnium confirmationem propria authoritas, & novus Pythagoras, inter nos suos discipulos vult, hæc vox pro mille demonstrationibus valeat, *Ipse dixit*. Aegrotans tamen pluribus pharmacis propinatis, donec tandem facta vtero gerens à Medicamentis cessauit, neq; pulmones, neq; diaphragma deiecit, sed ab illis fuit adiuta. Hæc prima fuit occasio, quâ Thessalus noster venenum, quod prius intra viscera coercebat, euomuit. Postquam quæ aduersus me dixerit, quæ professus fuerit, non est in hoc oppido, qui ignoret. Certè talia fuere, quæ quemvis constantissimum hominem transuersum abripere potuissent: sustinebam, sperabam enim fore aliquando, vt non effugeret, quòd si semel sui copiam faceret, non dubitabam quin facilè qualis sit, se esset ostensurus. Fortuna dedit, quod negauit consilium. Fæminam quandam ipsius ægrotantem, vocatus, inuisebam, dum ecce & ipse ad laborantem venit, sed nuncio accepto quòd

Com de Salub dicta 20. & alibi.

quòd ego ibi essem, discedebat bonus vir. Quo cognito ego domesticum misi, qui regressum rogaret. Puduit ampliùs aufugere; cubiculum tamen ingressus me nec aspiciebat, nec vel tantillum curabat; à me tamen expergefactus conniuentes oculos aperuit. Non expectemus hic doctam aliquam consultationem, nec vt seruetur antiquus rerum inter medicos examinandarum mos: solent isti, si plures conueniant, ita se disponere, vt in Medicina iunior, vel qui primò ægrotantis curationem est aggressus, primò loquatur: historiam morbi recitet, quæ eatenus administrauit, exponat, suam sententiam de morbo, symptomatibus, causis, euentu, & curatione doceat: inde reliqui per ætatem sententiam eâdem methodo dicant, & postea, si quæ sunt controuersa, examinent. Qui mos adeo vbiq; gentium apud rationales Medicos inualuit, vt summo ægrotantium emolumento, neque primarijs Medicis vnquam liceat aures tyronibus negare, neque cuiquam se Medicum profiteri, qui illum in consultationibus nequeat obseruare. Sed Thessalus noster interrogatus an quicquam haberet, quod de morbo diceret, & an ne aliquid in illo casu obseruâsset, respondit morbum esse manifestum, à meq; quid esset agendum postulauit. Iterum quæsiui quemnam crederet in illo casu morbum. Fluxum muliebrem dixit. Instabam fluxum non esse morbum, sed symptoma. Bonus vir nunquam potuit morbum cognoscere, neque inter effectum & causam distinguere. Ego igitur incipiebam sententiam meam exponere, sed inter loquendum crebris quæstiunculis perturbatus, vix potui tandem concludere. Inter conclusiones erat, ipsum antea prauè instituisse calidum, & aperiens cataplasma regioni vteri in illo casu, cum præsertim vlceris esset suspicio, & febris putrida. Ad hæc nihil. Acquiescebam eius inscitiæ misertus, & in reliquis, aliquibus, etsi fictis eius excusationibus admissis, amicitiam pollicebar. Non multis post diebus per mulierem internunciam mihi literæ ab eo deferuntur, in quibus notato Augenij loco, quem ego meum olim in Medicina præceptorem professus eram, vbi vult magnum morbum dici in relatione ad mediocrem, scribit. *Senior iam redditus novas cogitationes parum consentientes* (prioribus) *effundit, discedens à priore mensura aliam æstimandi morbi quantitatis, ingreditur viam*, &

 affert

affert locum in quo docet magnũ morbum dici in relatione ad naturalem ſtatum. Hæc ego legens, nec tamen quo fine hæc collideret intelligens (nihil ſiquidem per literas illas poſtulabat, ſed tantummodo duobus illis prolatis locis virum doctiſſimum inconſtantiæ damnabat) mirabar; mirabar, inquam, hominis arrogantiam, qui tantum virum tam facilè condemnaret; mirabar ignorantiã, quòd in re adeo apertâ ipſum criminaretur. Mirabar tandem inſtabilitatem, quòd poſt nouam amicitiam ſtatim ac à me diſceſſerat, mea forſan fiſus patientia, me in Magiſtro laceſſeret; collectis itaq; cauſis omnibus, quæ ipſum ad cenſuram hanc mihi perſcribendam induxiſſe poterant, rogaui quænam illarum eum mouiſſet, & adeo quid per epiſtolam ſuam ſibi vellet, pollicitus meam in omnibus pro virili operam. Quid hic dixiſſet alius? Nonne gratias egiſſet? Abſit à tam invrbano homine; mihi adeo pudendas reſcripſit literas, vt baculum, non calamum pro reſponſione quærerent: vno verbo relictà, quam notauerat, difficultate, ſe totum conuitijs dedit. Omnia & hic ſuſtinui, ipſiq; in maledicendo primas partes (quippe qui nec ſecundas velim) libentiſſimè tribuens, novum congreſſum expectabam: cuius etiam paulò poſt opportuna mihi ſeſe obtulit occaſio. Nam à quodam generoſo accerſitus, qui Theſſali noſtri operâ vſus fuerat, aſtantibus oſtendi hominem deploratum, negauiq; me quicquam tentaturum, niſi & Theſſalus operis particeps eſſet. Generoſus ægrotans melancholicæ conſtitutionis, valetudiniſq; non ſatis firmæ, ſtatim ab vxore ducta, adoleſcentula quidem, quam ſummè amauerat, quartana fuit tentatus: tuſſis verò, quâ antea etiam ex ſalſa pituita in pulmones labente premebatur, vehementer invaluit. Huic, & inter cruditates Theſſalus pharmacum obtulerat, illudq; purgans, non leniens. Viribus prorſus proſtratis (inciderat bis vel ter in lipothymiam die primum concubitum ſequenti) aucta putredine, morbus euaſit mali moris, tranſiitq; in triplicem quartanam continuam cum inſigni ventriculi labefactione. Hic quamvis pulchrè me vendicare potuiſſem, nolui vel ægroto, vel adſtantibus demonſtrare hominem à Theſſalo occiſum, qui neq; aliàs vnquam vel illius, vel alterius præſcripta temerè damnare conſueuerim. Cum Theſſalo priuatim congreſſus (qui ne tunc,

quid

quid diceret, habebat) morbum explanabam, causas, & cætera quæ ad curationem iustituendam requiruntur, omnia perpendebam. Morbi naturam, qui circuitus nondum videram, vel de illis ab adstãtibus quicquã audiueram, ex pulsibus præcipuè coniectabam, malignitatis verò primitiuas causas venerem, & pharmacum ostendebam, quòd illius, saltem ad eius vires, immoderatus vsus, qualis vt plurimum in huiuscemodi casibus contingit, tenuiores sanguinis partes vastâsset, viresq; omnes labefactâsset, hoc verò quòd eas sic imbecilles crudis præsertim humoribus prorsus profligâsset, & perdidisset, vnde factum vt putredo postea (in cuius excellenti gradu, dum præcipuas vires occultas seruat, malignitatis continentem causam statuebam) tantam vim acquisierit. Ad primas de pharmaco voces exarsit. Rogaui rationes patienter sustineret, donec meæ consultationi finis fuisset impositus, tunc me quæcunq; libentissimè auditurum. Facto fine ille neq; de pharmaco, neq; de quouis alio quicquam protulit. De febre tantùm confirmabat ipsam triplicem quartanam, adductâ eius de simplici quartanario typo obseruatione, & ab immodica venere argumento, quòd scilicet hæc melancholicum augeat humorem. De more verò dicebat, se illum non credere malignum. Sed nec hîc vllam adduxit rationem, nec mea pro malignitate argumenta confutauit, vel allatam maligni definitionem improbauit, aut aliam inuexit, ac si satis fuisset, quòd ipse aliter arbitraretur, vel potius soleant huiuscemodi homines, in quodcunq; inciderint, eius aliquid damnare, vt docti indoctis videantur. His auditis tantamq; animaduertens hominis leuitatem, puduit amplius cum illo vllam profiteri simultatem, statuiq; in posterum, cum eo neq; familiaritatem, neq; inimicitias exercere, quòd si simul vllo tempore in consilium ab aliquo vocaremur, accedere, sententiam absq; omni acerbitate dicturus. Hac tranquillitate per aliquot menses fruebar, cum ferebatur ipsum cum quodam ægrotante, cui sanguinem eduxeram, sermonem facientem, eius infortunij miserum, quòd diceret illi tantum à me vitæ demptum, quantum sanguinis fuisset ablatum. Obstupescebam non amplius hominis ignorantiam, vel erga me inurbanitatem, sed stomachabar tantam in semimortuum ægrotantem in-

1.epid.sect. 2.rex.79 3.in 1 epid. 39. 1.1 cap.11.

humanitatem. Hippocrates scribit Philonis filiam, quoniam intempestiuè cænauerat, mortem obijsse. Gal. aliud fere simile exemplum apud eundem notat authorem; à tam leuibus causis vitæ, & mortis euentus dependent; legat, qui vult, quæ disertissimus is author de diebus decretorijs agens in hoc genere scribit. Si ægrotans accipiat nuntium aliquod triste *si timere cogatur* non amplius naturæ iudicium, vt debebat, sequitur. Nihil tamen mali in hoc casu contigit, quoniam Thessali vocibus ægrotans nihil fidei præbuit. At ego continuò Nuncium ad Thessalum misi, qui meis verbis rogaret ne grauaretur præscribere quidnam illum in tam prauam de præstantissimo præsidio opinionem induxisset, & multò magis cur adeo terroris plenam sententiam afflicto ægrotanti communicásset. Et abnúit quicquam scribere, & negauit se ægroto quicquam dixisse, (ita scilicet istis adiuncta aliqua mentali reseruatione eadem affirmare, & negare fas est) sed pharmacopolæ tantùm, qui tunc ipsum sequebatur, mentem suam latino sermone aperuisse, quamuis postea mendacij conuictus est aperti, cognito me id ab ægrotante, cum quo ipse locutus fuerat, percepisse. At contra sanguinis emissionem adduxit virium ægrotantis, omnium etiam medicinam ignorantium iudicio, infirmitatem, aluiq; fluorem, quibus addicit se & alias ad id habere, quas non afferret, rationes. Hæc cupiebam in scriptis habere, tum ne postea affirmata negaret, tum præcipue, vt propositiones vniuersaliter prolatas: *viribus infirmis, aut fluente aluo non licet sanguinem mittere*, quas aliàs Galenicas agnoscebam proposito casui adaptaret, & casum ipsum (si fieri posset) quoquo pacto describeret; propterea præfatus facile esse quæuis præsidia, etiam optimè instituta, inter indoctos damnare, non ita sententiam illam cum ad Lydium lapidem examinata fuerit tueri, rogabam tandē explicaret, quid sibi per duas illas propositiones vellet. An arguere per primam vires fuerunt infirmæ, ergo non licuit sanguinem mittere, illarum verò infirmitatem ex ijs astruere, quæ omnibus etiam medicinæ indoctis apparere potuerant, an potius alius propositionis sibi esset sensus: per secundam verò, an intelligeret nunquam fluente aluo posse quicquam contingere sanguinis missionem desiderans, vel quòd si aliquid tale quandoque

doque eueniat, inde tamen ad venam aperiendam moueri non debeamus, an vltimò ventris fluxum vnum ex ijs esse, quæ phlebotomiam prohibeant, non ita tamen, vt nulla alia de causa liceat fluente aluo sanguinem effundere. Quod si hoc vltimum crederet ostendebam ipsi esse dicendum, nullum adeo vrgens in hoc casu adfuisse, cum tam absolutè hoc præsidium damnâsset. Hæc ita me deus amet nullo liuore scripsi, cui satis erat, si me ipsum priuatim defenderem, meamq; existimationem absque iactatione hoc vno argumento tuerer, si, quod sperabam, ipsi Thessalo reprehensori meo satisfeciſſem, promisit se scripturum, nec id antea vnquam (En aliam mentalem reseruationem) recusasse. Addidit tamen se suas literas promulgaturum, meq; pro merito tractaturum. Quæso quid mali hic sum meritus? Cuius offensionis author fui? An quoniam medicinalium epistolarum non insolentem morem reuocaui, aut necessario (honesto tamen) incitamento, ipsum ad respondendum prouocaui, lapidibus sum appetendus? Videamus hic quæso quas literas transactis demùm decem diebus dederit. Incipit; [*Qui bene audire vult, ipse à male dicendo prius acquiescat,*] Rectè quidem. Quis enim nostrum alterum probris, & maledictis vexare primus est aggressus? Quis alterius tanquam impostoris medicas ordinationes censoria seueritate obseruare, & speculari, Discipulum præterea per magistrum transfodere introduxit? An vis de hoc vltimo tantùm casu loquamur? Age, Nonne tu hanc controuersiam instituisti, qui mea damnâsti, meq; de ægroti salute bene meritum Carnificem appellâsti? Non habebis hic quid apertè respondeas, scio. Quod si voces effutias eas nouos canis latratus, non æquos hominis sermones cæteros iudicaturos non dubito. Sequitur; [*At inuidia dictis nunquam desinis, ab iniuriarum actionibus non desistis; donec nos ad mutuas calumnias (si hoc fit calumniari) adegeris, & alterna vitia compuleris.*] Quæ à me iniuria, quæ mea hic inuidia? Philosophus hanc vult propter bonorum fælicitatem, & inter pares oriri illam verò dum noxam sponte contra publicas, vel priuatas leges inferimus, exerceri. Quæ tibi bonorum fælicitas, quæue adeo inter nos paritas, vt te inuidia appeterem? Contra quas leges peccaui, aut quid non prouocatus feci, vnde iniurium

2.Rhet 13
2.Mor.Eud 6
1.Rhet.14.
5.Mor.Nic 8

in-

intulerim? An fortè quia figulus figulo inuidet, & tibi à me inuideri colligis? Ego verò te cum istis moribus semper miserum, nunc verò magis magisque indies ruentem, potiùs miserandum putauerim. Rixarum verò & calumniarum nullam vel ansam præbuisse arbitror, dum cuiusdam tuæ præcipitis sententiæ rationes flagito. Addis; [*Tandem incipis queri, cur pauca rependimus cum paria numerando parati non simus?*] Certè iam multo plura quàm debeas rependisti, qui in me adeo rabidè insultas, & inter agricolas, & tonsores triumphum ante victoriam proclamas. [*Serui homines ligemur ad nutum tuum, aptemur ad placitum, res nostras deferamus, clientes retardemus, donec tui honoris sit habita ratio,*] Quorsum funes? & quid de rebus tuis, & clientibus loqueris, an ægrotans iste tuus cliens? Agnosco ipsum vsum tuâ operâ anno præterito, sed eam lanienam, non medicinam expertus, cum continuò in peius rueret, meum rogauit consilium, quo etiam ferè integram, etsi non satis firmam sanitatem præterito autumno obtinuit; quamvis postea me invito singulis propemodum noctibus præterita hieme per oppidum obambulans, cornicinis munus obiens, cerebro iterum refrigerato in recidiuam inciderit; sed postea ad me accessit, quamvis ob eius continuos extra oppidum egressus protestarer, me nec ipsum curare posse, nec spem vllam ostendere, nisi intra oppidum diutius moraretur. Nam quòd inde (vt dicit) audierat me esse statim in patriam migraturum, te accersiuit, tuaq; plura medicamenta per multos dies sumpsit: Tamen tu eum nunquam inuisisti, nisi semel non vocatus, (obseruate mysteria) postridie quàm intellexeras, me laboranti iam sanguinem eduxisse, & ego plurimis eius precibus motus, eius curam repetieram, vt meus potiùs quàm tuus cliens ægrotans iste dici debeat. Ego verò hic nihil à Thessalo quæsiui præter vnius in me maledicti rationem, & si quid vltra desideraui, illud erat, ne amplius inauditos condemnaret. Me autem clientes distuliisse, tui honoris etiam inter contentiones rationem habuisse non solùm ante scripta docent exempla, verum etiam attestantur labores, quibus conatus sum omnibus fere, præsertim clarioris notæ ægrotantibus, qui te relicto meam implorârunt operam (& non fuerunt pauci) persuadere, vt tuo quo-

quoque vterentur consilio. [*Et omni obsequio gratiâ impetratâ, tu malitiâ ambitiosâ & fatali arrogantiâ fingendo & mentiendo temet ventilabis, & nos viles traduces. Quam vere hæc expostulo, ipse testis plus quàm oculatus esse potes: litera scripta manet. BREVIS te sententia iniquum constituit iudicem, sicut vt totum sis forum temeraria vena sectio ostendit carnificem. Tempestatis instar radere solet, vbicunque incubuerit ira tua, vnde fluxerit calamitas ibi impressio nulla, aut idiotarum ritu quisquis te percusserit, astantem impellis proximum. Ab alijs audio de te, quæ à te non audio, & cum emancipati simus à tuo fastu, libereq; spiremus, de te quæ sentimus per delatores accipito.*] Hic partim convitiatur, partim conqueritur, partim castigat. Convitijs non vaco, ista penes authorem sint; quis nostrum sit ambitiosus, malitiosus, arrogans, carnifex, æqui dignoscent iudices, quin potius iam satis multi cognoscunt. Illud de quo (vt puto) conqueritur, ita se habet. Præteritis diebus illustri cuidam viro temperationis calidæ, & humidæ laboranti simplici tertiana intermittente, nothâ quidem ex admistione sanguinis, & pituitæ cum flaua bile putrescente, pulsibus cum vehemẽtia altis, & vndequaq; ad naturalẽ cordis constitutionẽ magnis, vrinis subrubris, cum insigni inquietudine, ex plenitudine, & humorum affluentia potius quàm ex caloris validitate, animaduerso euidentissimo vlterioris putredinis periculo, sanguinem pariter inter morbi principia fælicissimo euentu emiseram. Et hic ferebatur remedium damnatum. Censorem expiscabar. Vir ingenuus, meiq; amantissimus pluribus præsentibus totam culpam in Thessalum coniecit. Nobilem febre laborantem rogaui, vt & hunc amethodum in consilium de eius ægritudine aduocaret. Quod minimè assecutus, Apologiam dixi, quâ ostendebam, nullum Medicum, qui ægrotantis pulsus non tetigisset, vrinas non aspexisset, calorem non obseruâsset, morbo coniuncta, eiusq; symptomata non animaduertisset, ægrum non vidisset, rectè potuisse de illa sanguinis emissione iudicare, ipsamq; ex arte vel approbare, vel improbare. Præterea casu paulò accuratiùs descripto, ostendebam me non solùm ex ratione, verùm etiam ex Medicorum omnium Græcorum, Arabum, & Latinorum placitis egisse. Nimis igitur BREVEM, & præcipitatam fuisse

ſententiam, me prauè venam aperuiſſe. Tum præfatus hæc me defendendi mei causâ, non ad inſtituendam contentionem dictâſſe, ſcriptum conualeſcenti tunc generoſo priuatim attribui, neque vlli altero communicaui. Quid hîc poſtea factum fuerit ignoro, & an illuſtris eques alijs apologiam meam oſtenderit, necne, inquirere nec vacat, nec curo. Hoc vnum per internuncium accepi, hunc, qui de me conqueritur, amethodum Theſſalum, literas ad eum (ſic dicebat) non pertinentes legere noluiſſe. Cur igitur, ſi literæ ad te non attinent, de ipſis conquereris? Et ſi ipſas legere noluiſti, quâ impudentiâ BREVEM ſententiam in hunc vel illum rapis ſenſum? An credis me vocem BREVIS tibi adaptâſſe, & te BREVEM BREVIS diſſimulas, BREVIS verò ſententiæ alium authorem deſideras? Certè ego alium non invenio. Quem tu forſan fingis, ingenuè audîêre multi negantem ſe vel quicquam de hoc caſu dixiſſe, vel vnquam dicere potuiſſe. Eiuſq; fides, ſicut & doctrina, digna eſt, quæ mille tui ſimilibus Theſſalis præferatur. Quoquo pacto ſe res habeat, cuiuis ſatis eſſe poteſt me nullum aduerſarium expreſſiſſe, & quantum ad me pro iuſtiſſima cauſa priuatiſſimè propugnâſſe. Si Theſſalus ſe innocentem agnoſcit, BREVEM ſe neget, & omnia in tranquillo videbit. Tandem hoc loco quod reprehendit ſanguinis eſt emiſſio, in caſu de quo loquebamur, ſed hac de re poſtea. Interim pergamus eius literas percurrere. [*Coram audiuimus te antiquum Montani conſilium,*] loquitur in caſu Augenij [*recitantem. Abſens*] in eodem tamen in quo ego eram oppido [*ſcriptis tentaui*] litera ſcripta manet. Quare oportet mendacem eſſe memorem. In iſtis eius ſcriptis, quibus nunc ſe me tentâſſe vult, ſic ad verbum legitur. [*Caue ne putes hac tibi tentamenta miſſa experiundi gratiâ.*] Magnus ſcilicet hominum experimentator, ſed forſan & hîc habet nouam & tertiam æquiuocationem mentiſue reſeruationem; pergit, [*Nec mihi tam plenus Æſculapio viſus es, vt hinc Italæ gentes, omnisq, Oenotria tellus in dubijs reſponſa ferant. Didici ex reſponſione te contingere nefas eſſe, te non tractabile cœlum. Falſus es ſi putas nos damnare quæ optimè inſtituta ſunt. Multa inſtituuntur vt inquit Gal. κατὰ τὸν λόγον τεχνῆς, ſed deſtituta ſunt, cum ignari Miniſtri ἁμαρτάνωσι πράξεως. Mos inter Medicos epiſtolas conſcribendi inſolens non eſt, quem tu colis.*] Dixeram & me ſæpius

Medicinales epistolas in his etiam partibus dedisse. [*Vt accuratiùs discutiatur si quid controuersum sit. Ego periculum in quæstiunculâ tibi proponenda cum fecerim, non Medicinales te reddidisse, sed morbosas scalpsisse literas mihi certum est.*] Iterum nego te vllam vnquam quæstionem mihi proposuisse; signatis namq; tantùm duobus illis locis, de quibus superiùs dixi, & pro tua crassissima ignorantia authore inconstantiâ notato, iussisti cauere, ne crederem hæc tentamenta. Tua ignoratâ intentione, quid liberalius facere potui, quàm quid velles rogare, quicquid quæreres, operam meam polliceri? Quem audio nunc inter tuos gloriari quasi respondere nequiuissem. Cur acceptis meis literis, si aliquid à me desiderabas, non postulasti, sed ad sola maledicta te contulisti? Demus tamen quod quæsieris. Anne erat talis quæstio vel plebeij Medici responsione digna? Nonne tritum nimis est, quod & ipsemet Augenius confirmat, magnum morbum esse quid compositum ex morbo & magnitudine? Quid mirum igitur, si quatenus morbus ad sanitatem refertur, cum semper id, quod præter naturam est, per suum naturale intelligatur, quatenus verò magnus cum paruo, vel mediocri comparetur, cum magnum, & parvum vel relationes sint, vt voluit Aristoteles, vel quantitates in prædicamento relationis, vt placuit Galeno, stultum est, vt inquit philosophus vniuscuiusq; dictis vacare, forsan plus quàm stultum, stultis cuiusquam cogitationibus respondere. Quis puer mathematicus nescit, omne curuum dici in relatione ad rectum, magnum verò curuum, non solum habebere respectum ad paruum curuum, sed & ad rectum ipsum?



omnes vident lineam e f, vbi magna curuitas, hanc magnam curuitatem nanciscì, si ad lineam c. d. respectu a. b. referatur. Logigastri etiam sciunt vnum quemq; terminum respectiuum suum habere, cum quo conferatur, terminum: quare cum magnus morbus duplicem habeat respectum, duos quoq; ad quos referatur habebit terminos. Rustici tandem intelligunt magnum importare respectum ad paruum in proprio genere, quare dicunt muscam magnam, montem paruum, quod non facerent, si per magnitudinem, & paruitatem aliquid absolutum intelligerent. Præterea animaduertunt, morbum ad sanitatem a-

L. 2. de sang. miss 13.

Tract 2. cap. 2. & 3. de diff. pul 4. 3. de caus. pul. 5.

liquem habere reſpectum, ſicut cæcitatem non lapidibus, ſed aptis ad videndum attribuunt: quare etiam cognoſcere poſſunt, ſiue opponatur morbus ſanitati contradictoriè, vt putauit Ariſtoteles, ſiue contrariè, vt Galenus, includere tamen ſemper aliquam ad naturalem ſtatum conſiderationem. Et quamuis Gal. alicubi velle videatur, aliquam dari morbi magnitudinem, quæ talis ratione propriæ ſubſtantiæ ſit, ab illa diſtinctam, quæ ratione receſſus à naturali ſtatu talis dicitur, aliásq; doceat nonnullos morbos magnos per ſe appellari, quaſi nulla ad vires relatione facta. Hæc tamen non ſic ſimpliciter intelligenda ſunt, quaſi penes Medicos præſertim, vllus daretur morbus, nedum magnus, qui vel ad naturalem ſtatum, vel ad vires nullum prorſus reſpectum habeat. Sed cum non omnes homines in eodem ſanitatis gradu naturaliter reperiantur, ſed aliqui in vno exquiſitiſſimęq; ſanitati proximo, alij in altero à perfectiſſima valdè remoto ſint, fit, vt dum illi magno morbo premuntur, affectus talis abſolutè videatur, in his verò, quoniam ob eorum imbecillitatem, leues à naturali ſtatu receſſus graues ægritudines faciunt, morbi ad eorum vires tantùm magni exiſtimentur. Vni Theſſalo qui, quid morbus ſit, ignorat, ipſumq; à ſymptomate non diſtinguit, hæc ſunt incognita. Sequitur. [*Calor tuus ex putredine ortus non fouebit hunc morem* ὁ λέχεται γεωργίαν *ex tam inſulſo infatuato agricola vicem ſimi gerere poſſis.*] Delio hic narratore eſt opus, vel potius Hercule, qui os hominis ſimo plenum, vt olim Augiæ ſtabulum, repurget. [*Populo deaurati videbimur. Auellimur à trutina populari aurificis ſtatera examinandi. Sane metuendũ non eſt, ſi purum proferam, quin falicius crumenam ſeces quàm vena ſciſſa eſt, ſi quis Perſeus te mutâſſet in lapidem, in ſilicem, aut ſarcophagum conuertiſſet. Exedis, & colliſione excandeſceris, conſul Medicina.*] Ego Doctor Medicinæ ſum non conſul, [*per puerum ſuum,*] neq; per puerum meum [*iubet*] rogaui, obſecraui, [*rationem reddere quare tantum vitæ demptum, quantum ſanguinis detractum dixerim. Reſpondi.*] Reſponſionem tuam mox videbimus. [*Non me ſcribere velle, neq; alias rationes poſſe referre bis me deauras.*] Sciens fallis, vt ſoles, Ego quidem ita ſcripſi; *Te praterea alias habere quas non adducis, rationes, ſecreta quippe vel ſacra aliqua, eaq; ſublimia, de quibus*

3. Tract. præd. cap. 1. 7. phyſ 17. 1. de ſan. tuenda &c. 11. Meth. 3. 1. de tot. morb. temp. 5

quibus fas non sit homini loqui. Nolle autem te scribere, & ipse nuncius affirmabat, & res ipsa loquebatur. Cæterum nos ex his Thessali literis nihil hactenus præter eius mores emulsimus, qui quidem me credere cogunt, iure Vallesium bonorum Medicorum conditionem deplorâsse, inter tot ignorantissimos, arrogantissimosq; homines, qui se medicos fingunt, quorum culpa factum est, vt si quis Medici nomen audiat, se inuidentissimi, & gloriabundi hominis nomen audire iuret. Fortasse hij homines Conciliatori credunt, qui se demonstrâsse putat *naturaliter probum Medicum malorum esse morum*, propterea q; illorũ vnusquisq; vt inter probos se optimum ostendat, pessimos mores præ se fert. De his quicquid sit, videamus tandem in nostro Thessalo, an moribus doctrina consentiat. Nihil autem hoc loco aliud quàm eius rationes aduersus allatam sanguinis emissionem colligemus, post historiam morbi remq; totam accuratiùs explicaturi, eiusq; argumenta satis consideraturi. Audiamus quid respondeat: [*Dato quod morbus lumen prætulisset hoc præsidium indicando, viribus tamen non constantibus sed diuturno morbo profligatis, præsertim tam prodigis, & crebris deiectionibus soluto* soluta *aluo, id genus auxilij prohibitũ fuisse.*] Hîc prima habetur ratio, à virium infirmitate desumpta. Illud autem quod addit de alui fluxu, videtur hoc loco magis ad virium infirmitatem probandam, quàm ad novum argumentum formandum attulisse: Ad quem etiam scopum videtur illud direxisse, quod de morbi diuturnitate dicit. Aliàs namque scio Argenterij inventum, morbum magnum, qui sanguinis emissionem ex Hipp. & Gal. indicat, acutum morbum existere, quare iuxta hanc sententiam nouo syllogismo arguere potuisset. Tunc tantum per Hipp. & Gal. sanguis est educendus, quando morbus acutus vrget; Atqui hîc non morbus acutus, sed diuturnus vrgebat; neque igitur sanguis erat educendus. Hæc tamen illi dato, quod præcessit, opponuntur, cum ita scribit, *dato quod morbus lumen prætulisset hoc præsidium indicando.* Nos tamen ne quicquam prætermittatur, quod rem dubiam relinquere possit, hæc tria, vires, fluxum, diuturnitatem, tum quatenus in vnam coeunt rationem, tum vt tria formare possunt argumenta suo loco considerabimus. [*Sicut Plutarchus scribit, nemo accedat*

in præfat. 6. cont.

diff 7. Art. 3.

l. de diff. morb 7.

ad conuiuium, nisi à Sympoſiarcha inuitatus, aut ab amico adductus, vtpote Ariſtodemus à Socrate in Agathonis domum introductus; idem de auxilijs, & ope Medica dici queat, οὐδὲ τὶς ἀφ' ἑαυτοῦ βαδίζοι τῷ δεῖ τὴν θύραν κεκλεῖσθαι, *niſi morbus inuitet aut aliquid concomitans morbum, occlude fores in Medicinæ conuiuio,* τόπον ἐκ ἐχουσιν, *excludendum eſt,* φάρμακον ἀκλήτου.] Quàm bene concordent prima ſecundis, non intelligo. Dederat morbum lumen præferre miſſionem ſanguinis indicando, hîc autem ſic loquitur, ac ſi vellet nec morbum, (quem tamen ipſe minimè explicat) nec aliud morbum concomitans illud auxilium indicâſſe: ſed ſi hoc daremus, quid ſi aliquid antecedens morbum præſidium indicauerit, an & tum remedium ἀκλήτου? Certè in putridarum febrium curatione indicatio ſanguinem emittendi vel à cauſa antecedenti ſumitur. Nec tamen hoc infringit illud Galeni ſcitum, magnum morbum ſemper illud eſſe, quod phlebotomiam indicat, concurrit namq; ad hanc magnitudinem conſtituendam non ſolùm ipſiuſmet morbi eſſentia, ſed quandoque etiam loci affecti dignitas, quandoque cauſæ magna validitas. Qua ratione etiamſi interdum febris ſit leuiſſima, cum tamen producitur ab aliquo interno veneno, morbus dicitur maximus. Venenum autem non aliquid morbum concomitans, ſed quid ipſum antecedens à Medicis appellatur. Qui de harum primitiuarum, antecedentium, & continentium cauſarum diſtinctione, de concomitantiumq; natura plura intelligere vult, Galenum adeat de pulſibus præcipuè tractantem, & aduerſus Theſſalum, Theſſali noſtri typum, diſputantem; non enim hîc omnia explicare eſt in animo. Sed qua ratione probet Theſſalus noſter morbum, vel morbo coniuncta hoc præſidium non indicâſſe, ego quidem non video. An quia vires fuerunt infirmæ? Ego verò è contra ex hoc eodem eius principio morbum hoc præſidium indicâſſe colligo. Nam in tanta, quam ipſe fingit, virium infirmitate nemo negauerit morbum fuiſſe magnum. Porro adeo certum eſt quàm quod certiſſimum, & quod nemo hactenus negauit, magnum morbum apud Hipp. & Gal. ſanguinis miſſionem indicare: Galenum audiamus, *Morbi itaq; (inquit) magnitudo cum virium robore primi erant mittendi ſanguinis ſcopi. Ille quidem quæ facienda ſunt indicans, hic autem haud*

4. Meth. 6. 3. de criſ. 4.

1. de cauſ. pul. 1. lib. 1. & 2. Meth.

1. curat. per ſang. miſſ. 13.

haud prohibens. Et quamvis nonnulli magnam de contra indicantibus moueant difficultatem, hoc tamen hîc præcipuè habemus quod Valleſius, Maſſaria, & alij etiam demonſtrârunt inter duo propoſita, præcipuum indicans in miſſione ſanguinis magnitudinem morbi exiſtere, vires autem non eſſe aliquid, quod propriè præſidium illud quærat, ſed tantùm ſui conſeruationem oſtendere, ac dum imbecilles ſunt, vt inquit Galenus, illud prohibere, dum validæ concedere. Sed forſan Theſſalus noſter, antiqui illius ſui cognominis principijs inſiſtens, qui ſanguinis emiſſionem à morbis ex aſtrictione tantùm indicari docuit, cum antea dixiſſet alvum fluxiſſe, vult nos colligere morbum non ex illis extitiſſe, qui indicationem hanc prætulerit. Dimittamus locos. Hoc vnum hoc loco concludamus ex allatis verbis, nullam poſſe colligi nouam rationem aduerſus propoſitam ſanguinis emiſſionem. Niſi dicamus hanc nouam eſſe rationem, quòd ipſe dixerit nihil ſanguinis miſſionem in hoc caſu indicâſſe. Sequitur, *Hec [vlteriorem poſtulant explicationem, & inſuper quid vellem per ſolutum]* ſolutam, [*aluum & imbecilles vires: De iſtac nonnihil me dixiſſe ſcribis, de illa nihil,*] Quid dixerim, quid quæſierim ſatis ſuperius recitaui. [*Iam dico*] audianius. [*Propera ad cloacas, pondera, & ſcrutare ad Lydium lapidem, num aurum fictum necne.*] Hoc eſt quod dicis? ſic in ſcena prius Momus quàm Medicus compares? Videamus an aliquando Medicus, [*Galenicam vtramq; agnoſcis rationem.*] De virium imbecillitate (cogor repetere) dixeram ſi ſic argueret: Vires fuerunt infirmæ, ergo non licuit ſanguinem mittere, argumentum fore concludens, nam ſi vires fuiſſent infirmæ, per Galenum non licuiſſet ſanguinem effundere. De fluxu verò me agnoſcere vulgatam illam Galeni propoſitionem, fluente aluo non licet ſanguinem educere. Hoc autem non erat Galenicas agnoſcere rationes, ſed Galenica approbare principia, ex quibus ſi poſtea Theſſalus prauè rationes finxiſſet, eas oportebat deinceps diſcutere. Sequitur, [*Solet Galenus expeditas proferre ſententias, nec tamen BREVIS eſt, explicatiſſimus author. Cum ſenſus ex ipſo limpidiſſimus conſtet, cur alium ſuccum exprimi velis? An Galenica litera te occidit? Explicationis diuerticulum quæris? Erràſſe me putas, & ſenſum non aſſequeris, aut te diſquirere oportet. Abſit,*

1.7.cont.cap. 2.In tract de ſcopis mitt. ſang.gen.

Gal.5.Meth. 15.

sit, vt tu intelligendo proficias, ego operam nauarem, vel alia ratio ineunda, si te meo accommodes consilio.] En pulcherrimam locorum explicationem. Sic pollicita Thessale præstas? Hæcne sunt, quæ ad cloacas nos deferre iubebas? forsan in posterum meliora habebimus. Attendamus, [*Tace vires prostratas sedulitate nutricis indigentes, & mamma ope*] Lac Caprinum tribus diebus ab emisso sanguine dare inceperam, [*(Hircum etiam mulgere iam incipis) præcipitem aluum imò hypocatharsin.*] Hic demum veluti re confectâ exultat Thessalus, & totam ratiuncularum pharetram eiaculatur. E quibus prima illa est; lac exhibuisti, ergo vires fuerunt prostratæ: Altera verò potius nouum meum à sanguinis missione in ægrotantem peccatum astruere videtur, quàm probare me prauè antea sanguinis missionem instituisse. Quasi argueret Mammæ ope præcipitem aluum dedisti, imo hypocatharsin excitâsti, ægrotantem igitur occidisti: per hypocatharsin autem hoc loco ipsum hypercatharsin intellexisse, particula illa, quam addit, *imo* ostendit. Quamvis vocem ὑπερκάθαρσιν quæ super purgationem in ὑποκάθαρσιν, quæ per inferiora purgationem significat, pueriliter commutauerit, sed de eius rationibus postea. Illud restat hoc loco excutiendum, quid sibi velint illa *HIRCVM etiam MVLGERE iam incipis*. Si enim id ita intelligat, me nihil præstare, dum ægri viribus ex sanguinis missione infirmatis, iam aggredior lacte illas reficere, in vtroque falsus est. Quamquam hoc etiam dato me sanguinis missione vires deiecisse, postea verò lac ad illas instaurandas exhibuisse. Experientia docet ægrum ab eo tempore quo sanguinem effudit, quo lac propinaui non solùm in pulsibus, & animali facultate multum virium recuperâsse, sed & in coctionibus, vno verbo in rebus omnibus melius se habuisse. Quid igitur restat? Equidem nullum alium huius propositionis sensum hactenus videre potui, nisi me prorsus *HIRCVM MVLGERE* dum Thessalicæ censuræ defensionē quæro, dum ab eo per literas suarum propositionum explicationem postulo, dum tandem vel tunc, vel nunc etiam, aut eius acta examinando, aut scripta perpendendo, aut cogitationes inuestigando, doctrinæ in ipso vestigium vllum reperire spero. Quapropter hanc interpretationem secutus, meritò huic labori eum titulum facere voluimus.

mus. Sequitur; [*tussim funestam, tabem præ foribus, si non in limine, denique reticentia alta sit omnium eorum, quæ vel Botallum deterruissent fulturam vitæ, & thesaurum subtrahendo.*] Quamvis ista horrore plena sint, ab ijs tamen timere non debemus, cum tandem omnia nihil contineant præter malè disposita symptomatum & morborum seriem, quam Thessalus non ægrotum inuisendo deprehendit, sed inter parietes sedendo confinxit, adeoq; quam nec probat, nec probare potest. At de morbis, qui ægrotantem verè afflixerunt, & partim nunc etiam affligunt, nihil explicant. Hinc tamen colligamus nos, si placet, duo alia à nobis discutienda, Tussim scilicet, & Tabem. Nam cętera ea omnia quæ vel Botallum à sanguine mittendo deterruissent quæ fuerint vaticinari hominis, nisi forsan diuini, non est. Ne tamen interim quis putet nobis cum Erasistrateorem esse, qui prorsus à sanguinis missione abhorreat, placet, lectoris, forsitan delassati, reficiendi causâ, vnum non reticere casum quo Thessalus se non Botallum, sed (vt eius vtar termino) verè carnificem in emittendo sanguine commonstrauit. Virgo quædam cuiusdam generosæ in hoc oppido commorantis ancilla, ventriculo ex frigida intemperie imbecilli, veluti primæ coctionis difficultas aliqua, & flatus in hypochondrijs declarare poterant, mense Octobris proximè præterito cepit laborare mensium suppressione. Hîc probabile erat retentionem causari à morbo in via, obstructione scilicet venarum vteri, ex crassioribus humoribus primarum coctionum vitio ortis. Dum namq; ventriculus alimenta non satis conficiebat, iecur chylum non in probum sanguinẽ sed magna ex parte in crassum, pituitosumq; succum, vel ob solius obiecti peccatum, vel etiam, quod magis credibile est, propria intemperie vertere cogebatur. Qui postea ad hypogastricas, & spermaticas cauæ venæ propagines partim transmissus, viam sibi ipsi proprio lentore intercludens, inibi obstructiones excitabat. Eventus rem confirmauit, nam mense Decembris cæpit totum ægrotantis corpus, prȩcipue verò inferior venter, fœmora, crura, pedes, intumescere. Hanc mense Martio inuisit Thessalus, & quamvis eam iam per vltra tres menses sic tumescentem inspiceret, voluit sanguinem emittere, bisq; aperta vena basilica primùm, mox &

ſaphena ſanguinem copioſè eduxit, quamvis id in pede ob tu-
morem non parua cum difficultate fieret. Hinc ſtatim non modò
percrebuit tumiditas, verùm etiam inſignis ægrotantem inuaſit
atrophia, quibus tandem menſe Maij, aqua per vmbilicum copi-
oſe effuſa, inferioribus autem partibus nondum detumeſcentibus
(ſiquidem à pituita potius tumor erat, quàm ab aqua) defuncta
eſt. Hic quid dicet Theſſalus, ſe morbum non cognouiſſe, vel
venas ad menſes ciendos ſecâſſe? Quid quęſo credere poterat,
vt ad primum reſpondeam, tumorem ab humorum turgenti mo-
tu, ſicuti quandoq; contingit in Epilepſia, vel alijs conuulſio-
num invaſionibus excitari, quòd violenta ſuccorſi omnium agi-
tatione ex paulò craſſioribus ſuccis vapores oriantur, quibus
poſtea partes extenduntur? Prætereo hîc, quòd vapores iſti quia
2. Probl.4. leues per Ariſt. & Gal. ſuperiores potius, quàm inferiores partes
1.in 1.Epid. occupâſſent, & quòd humorum turgentiæ purgatio potius, quàm
11 4.aph.10. ſanguinis emiſſio remedium ſit. Quis non potuiſſet concludere
nullam adeſſe humorum turgentiam, cum tandiu tumor ille iam
tum perduraſſet, ac cum in partibus ex compreſſione foſſea re-
linqueretur, id pituitæ, non calidi, & turgentis humoris, vel vl-
lius à ſanguine tenſiuæ plenitudinis certiſſimum argumentum
fuiſſe? Dicet ſe ad menſes prouocandos ſanguinem eduxiſſe. Ta-
ceo Gal. nunquam deficientibus menſtruis ſuperiores venas ape-
ruiſſe, ſed expreſſè inferiores eſſe ſecandas ſępius docuiſſe. Do
etiam in eius gratiam hydropem, vel leucophlegmatiam (vtcunq;
velit) ex hoc vno menſium defectu ortum duxiſſe. Quem Medi-
corum legit Theſſalus in hydrope, aut leucophlegmatia iam facta
ſanguinem vnquam emiſiſſe? Hæc dico non quia putem cacochy-
1. de venæ ſect.adu.Cra- miam ex pituita per ſe ſanguinis miſſionem inhibere, ſed quoni-
ſiſt.cap.5. am etſi hydropi in fieri quandoq; phlebotomia medeatur, impo-
ſſibile eſt, cum phlegma tantam vim acquiſierit, vt natiuam ca-
liditatem obruere poſſit, parteſq; in tumorem attollere, vt abſq;
ſumma virium iactura, morbiq; inſigni augmento præſidium il-
lud vſurpetur. Sed neq; licebat inter tantas cruditates vlla ratio-
ne menſes prouocare, vel ſecus interna corporis validè aperire,
4 de san.tu.5. ſiquidem Galenus (ne humores qui in ventriculo, & cauis iecoris
reperiuntur, in gibbam huiuſce viſceris partem, & vltra deferan-
tur)

tur) prohibet aperientium vsum, nisi istæ partes fuerint priùs diligenter expurgatæ: secus namq; sarcinâ in internas partes depositâ, obstructiones ibi existentes augentur potius, quàm imminuuntur. Quem autem fingebat Thessalus viarum inter ventriculum & vterum commeatũ, quamve à cruditatibus illarũ partium immunitatem, cum ad huc ventre tumescente ad menses ciendos saphenam aperire est ausus? Sed nec in pharmacis minùs liberalis est noster Thessalus quàm in phlebotomia, siquidem defunctus est in hoc oppido Mense Aprilis generosus senex, cui pro potu quoddam solenne suum Zithi genus propinauerat, purgans quidem, quod inter cætera, vt audio, Agaricum & sennam recipit. Idq; indifferenter per plures hebdomadas ter, vel quater in die, etiam parum à cibo; quo tandem factum est, vt nimiè exsiccatus, in marcorem lapsus, facie Hipocratica, naso acuto, cauis oculis, temporibus astrictis, cute arida, totoq; corpore eximiè attenuatus mortem obijt, nec tamen inter tantam exsiccationem à soluenti potu abstinebat. Tantum autem abest, vt his in eadem die sic repetitis purgationibus Galenus vnquam vsus fuerit, aut simul cum alimentis, vel statim post ipsa ventrem soluentia tali pacto exhibuerit, vt expressè doceat eiusmodi lubricantia semper esse sumenda per aliquid temporis ante alia cibaria. 2.de Alim. fac.31.
Aliàs verò prohibeat *ne post cibum vnquam medicamentum vllum, quod ad distributionem vehementiorem faciat, sumamus*, additq; rationem, *non enim distribui tunc, sed concoqui, quæ sumpta sunt est vtilius*. Coctio autem locali quiete perficitur non motu. In senibus verò, dum aluum ciere cupit, siccantia absolutè condemnat. *Aloen verò* (inquit) (*quod multos senum, quibus siccus venter est, facere video*) *haud quaquam sumi suaserim*. Thessalus verò noster non aloen, sed sennam, & Agaricum offert, non ante alimenta sed cum illis, vel, quod peius est, post ipsa, non semel, sed multoties in die. An fortè generosi ægrotantis ventriculus non erat ex sui natura præter ætatem siccus? Qui semper summa cum difficultate deijciebat, vt cogeretur in dies continuò aliquid ad id auxilium quærere. Vel deerat humidorũ soluentiuum sylua, quibus potuisset simul aluum lubricam conseruare, & siccam intemperiem corrigere? Triplici ratione generosum Thessalus exiccauit, 4.de san.tu.7. 5.eiusdem 9.

iccauit, in marcoremq; præcipitauit, peraccidens dupliciter, & sæpius purgando, & coctiones impediendo, nouamq; succorũ generationem inhibendo, per se tandem, quòd purgantia illa præter vim eductiuam, exiccanti etiam per se pollebant facultate. Quid hîc facienus, cum huius generis hominibus, an eos inter medicos censebimus, eorumue aut dicta, aut facta curabimus? HIRCVM tamen, quando cæpimus, MVLGERE perganus, & ad huiusce vani laboris metam quantò citiùs possumus properemus. Concludit tandem, [*Denuo finge, vt optimè calles tuum donum est, phlegmon viscerum adfuisse, vires satis validas, plethoram, deniq; omnia pone in isto coisse, quæ istud generosum præsidium postularent. Ita me habes.*] Nec ego BREVI sententia finxi Thessale, nec tu quo alio exemplo hanc artem fingendi calleam, ostendis, sed te semper tui simillimũ calumniatorem demonstras. Hæ tandem illæ sunt literæ, quas omnibus se ostensurum, quas se publicaturum profitebatur, imò quas iam per officinas, & plateas legendas mittit, & publicat. Quas si medicinales, non peius quàm scurriles iudicemus, ego iam nunc Medicinam vabiuro, Mediciq; nomen, non secus ac pestem abhorreo. Quid enim quæso, vt omnia in vnum congeramus in hac causa, de viribus, fluxu, diuturnitate morbi, absentia indicationis lacte, tussi, tabe, Thessalus medicè dixit? Qua ratione probauit virium infirmitatem; an per fluxum? De hoc quidnam dixit, hypocatharsin esse? Anne declarauit quid per fluxum, quid per hypocatharsin intelligeret. Quot, quales sedes, qua tolerantia ægrotans eas sustinuerit, & an hoc symptoma tale fuerit, vt vlla ratione curationem ad se trahere, vel Medici mentem ad se conuertere debuerit? Anne diuturnitatis tempus examinauit, morbum vlla ratione declarauit, lactis vires expressit, tussis naturam demonstrauit, tabis argumentum vllum dedit? Quid si ego hic nullo addito argumento negarem vires infirmitate laborâsse, fluxum, qui Medicæ fuerit considerationis, vel tabem adfuisse, indicationes dicerem vrsisse, diuturnitatem, tussim non impedisse, lac ad alium finem, non ad vires instaurandas me propinâsse? An vnius Thessali noui hominis authoritas fide mea maior esset? Cur igitur eas epistolas Medicinales appellabimus, quæ aduersus me scriptæ, ita vim retinebunt,

nebunt, si ego vel simplici negatione earum authoritatem non infringo? Sed dimittamus hæc, & videamus, an possim vnicuique vel mediocriter sensato perspicuè ostendere, me in proposito casu nihil temerè, sed omnia validissimis adductum rationibus egisse, summaq; iniuria Thessalum præscripta mea damnâsse. Atque adeo, si placet, ab initio morbi naturam, & à me institutam curationem explicare aggrediamur. Vir ætatis 34. annorum, corpore bene dearticulato, naturaliter tamen parum graciliori, cute plumbei, vel potiùs fusci coloris, molli, ferè glabrâ, capillis nigris, venis amplis, arterijs magnis, in motu, vt postea etiam animadvertere potui, satis validis, tribus ab hinc annis cæpit laborare tussi valdè molestâ, qua multo labore insipidam pituitam excernebat, crassam, & viscidam, coloris prope vitrei. Quid hic Thessalus antea dederit ignoro. Ad me tandem Autumno præterito misit, cum iam tussi prostratus, ventriculi torminibus præterea, primæ coctionis difficultate, & flatibus vexatus, extra domum amplius egredi nequibat. Audiui hominem, considerabam ventriculi frigidam intemperiem, tum naturalem, & per se, siquidem semper, antequam etiam tussi premeretur flatibus erat obnoxius, appetituq; magis quàm coctione valebat, tum magis per accidens, ex frigidæ pituitæ præsentia, quæ continuò in illud viscus à cerebro fluebat: iecoris verò naturaliter calidam, & siccam, quod tum venarum amplitudo significabat, tum vrinæ color fere semper inter rubrum & flauum, quamvis ad rubedinem, vt plurimum, vergens, substantia, & contenta crassa, & melancholici adusti humoris insignis copia, quæ vt plurimum per hæmorrhoides affluenter, quandoq; & per nares, etsi tunc non adeo liberaliter excernebatur: per adustam autem melancholiam hoc loco non intelligimus atram bilem propriè dictam, quæ insigni sanguinis, vel potiùs flauæ bilis adustione producitur, vel melancholicum humorem naturalem, qui alioquin ex temperato calore sola obiecti ad succum hunc aptitudine generatur, sed naturalem melancholiam paulò calidiorem, quàm eius postulet natura, de qua calidum agens arguere nos docuit Galenus. Dum namq; chylus ventriculi frigiditate crassus ad iecur defertur, si viscus hoc calidum nimis fuerit, absumptis tenuioribus succi partibus,

1. de atra bile, &c.

2. de Nat. fac. 8 & 9 concil. diff. 32.

3. de sympt. caus. 2.

neceſſariò euenit, vt craſſiores & melancholicæ multiplicentur, quæ etiam ſi nactę fuerint à paulo calidiori agente caliditatem aliquam, fit, vt inter puram melancholicam frigidam, & atram bilem inſigniter calidam, medium quendam locum ſibi vendicent. Cordis autem conſtitutionem ſatis temperatam putabam, quæ ſi ad vllum extremum vergeret, hoc paulo calidius ex pulſuum magnitudine arbitrabar. Cerebri tandem, adſcititiè ſaltem, in actiuis apertè frigidam, in paſſiuis humidam cenſebam temperiem. Quod ad frigiditatem attinet, eam præcipue oſtendebant labentis pituitæ inſipiditas, & vitreus color: craſſities præterea, & lentor. Quod ad humiditatem verò, illam declarabat tanta pituitæ copia, quæ continuò ad inferiora labebatur. Solet quidem & ſicca intemperies quandoque retentricem facultatem lædendo, & ne ſanguinem ad partium nutritionem attractum probè contineat, impediendo, efficere, vt plura cruda excrementa producantur, ſicut in ſenibus videre eſt, qui etſi cerebro ſicci ſint, continuis tamen pituitæ fluxionibus ſunt obnoxij. Verùm hæc nunquam propter ſiccitatem ita copioſè aggregatur, veluti in hoc caſu contingere videbamus. Accedebant facilis ab vnoquoque agenti alteratio, humiditatis ſatis validum argumentum, & ſomni profunditas, niſi quatenus à tuſſis violentia impediretur. Siccitas namq; vt in ſenibus cernimus, vigiles potiùs quàm ſomnolentos homines reddit: hinc quòd ſolidis partibus exiccatis, cerebri ductus apertiores fiant, vnde excrementa, quæ ſecus refrigerando, & obſtruendo ſomnum inducerent, promptiùs deſcendant, viaſque animalibus ſpiritibus apertas, quo liberè in ſenſus & motus organa diſtribuantur, relinquant, vt voluit Argenterius: ſiue quia alia ratione vel per ſe, vel per accidens, quod huius loci inueſtigare non eſt, ſicca qualitas ſomnum impediat. Et quamuis capillorum nigrities, in hac præſertim regione, alicuius caloris vel ſiccitatis argumentum ſit, eam tamen credebam obiecti potius, quàm agentis diſpoſitionem hoc loco ſequi. Quòd ſcilicet calidiores, magiſq; aduſtę ſanguinis partes, quæ ad cerebrum nutriendum confluebant, ad cutem tranſmitterentur, ſicuti frigidiores, minuſq; concoctæ ad os, pulmones, & alias inferiores partes deponebantur, vnde tuſſis oriebatur,

I. artis med. 17. & 22.

1. de ſom. & vig. 17. Gal. 3 de loc. aff. 5. 4. de præſag ex pul. 8.

batur, cæteraq; symptomata, quæ frigida cerebri excrementa attestabantur. Quare colligebam totum corporis habitum ratione iecoris, forsan etiam cordis, calidiorem & ficciorem, ratione ventriculi & cerebri frigidiorem, & humidiorem, ita tamen, vt (quod etiam significabat corporis gracilitas) iecoris, cordisq; temperationes vincerent, corpusq; ad calidum & siccum inclinaret. Nec me ad contrarium censendum mouebant cutis mollities, pilorumq; defectus, siquidem hæc in his regionibus ijs quoque communia sunt, qui calido, & ficco gaudent temperamento. Id quod etiam animaduertit Galenus, qui signa tradens, quibus totius corporis temperationem per cutem dignoscere possimus, cum de illis egerit, quæ in temperatis regionibus locum habent, addit, 3. de Temp. 6

At in ijs quæ sub vrsa, & sub meridie sunt locis, quoniam quidem corporum, quæ in altero sunt, calor in altum à circundante extrinsecus, & vincente frigore est fugatus: eorum autem, quæ sunt in altero, in cutem is ab externo calore attractus prodijt, non potest ex eo affectu, qui in cute cernitur, internarum particularum temperies clarè discerni. Quippe corporis temperies in regionibus, qua à temperie recesserunt, inæqualis visitur, externis scilicet, interniſq; partibus ad eundem se modum non habentibus. Celtis enim & Germanis, & omni Thracio, & Scythico generi frigida, humidaq; cutis est, ideoq; etiam mollis, alba, & pilis nuda. Omnis autem his naturalis calor in viscera vnà cum sanguine confugit, vbi dum agitatur, & premitur, & fervet, animosi, audaces, & præcipitis consilij reddantur. Æthiopibus verò, &c. Ex qua serie cernere est, quod dicebamus, nihil scilicet aduersus totius caliditatem & siccitatem, vel adscititiam, vel naturalem per cutis mollitiem, & pilorum defectum in hac regione colligi posse. Quòd si plumbeus, & fuscus color, qui alioquin debuisset esse albus, aliquid doceat, illud erat melancholici humoris, vel ficcioris pituitæ copia, aut simpliciter in iecore genita, aut in corporis ambitu producta, ex admistione pituitæ à cerebro descendentis, cum melancholia à iecore ostium ducente. Cæterùm pituitæ in cerebro genitę causas frigiditatem, vt dixi, præcipuè, mox & humiditatem arbitrabar. Quarum qualitatum primam coctionibus summè nocere certum est; altera verò, etiamsi minùs, offendit tamen, præsertim si cum frigiditate iunga-

ingatur. Vincente autem frigore humiditatem, crassiori præterea ventriculi, & iecoris vitio existente alimento, quod in caput trahebatur, excrementum illud crassitiei, & visciditatis, qui frigoris hoc loco effectus sunt, potius quàm tenuitatis, & fluxibilitatis, qui humiditatis, erat particeps. Accedebat ad huiusce excrementi multiplicationem continua à frigidiori ventriculo in caput vaporum elatio, qui, vt docet Philosophus, non secus ac in magno mundo, frigidam nacti regionem, cerebrum scilicet, inibi condensantur, & veluti in nebulas conuersi, iterum pluviæ instar in inferiores partes delabuntur, vel sicuti in alembicis dum ad superiora perueniunt, in aquam conuertuntur, deinde descendentes guttarũ formas præ se ferunt. Porro huius pituitæ pars illa, quæ in pulmones recipiebatur, non solùm vias obstruendo, aëri inspirando, & expirando vias intercludebat, tussimq; adeo excitabat, verùm etiam ob eius crassitiem, & lentorem vim expultricem impediebat, ne scilicet posset rectè proprio fungi munere, nociuumq; obiectũ expellere, proindeq; morbum aliquem in via constituebat, à quo dispnoeæ symptoma oriebatur. Vaporum autem, & flatuum, qui in ventriculo producebantur, causas cũ Gal. putabam tum caloris illius visceris imbecillitatem, tum quandoque descendentis pituitæ frigiditatem. Quibus fieret, vt quamvis posset imbecillis calor obiecta quoquo pacto attenuare, ac in quandam aeris formam conuertere, nequiret tamen attenuatam materiam dissoluere, perinde prorsus atque in ollis aqua plenis lentum ignem facere cernimus. Ex his arguebam morborum naturas, intemperiem scilicet frigidam, & humidam cerebri, frigidam ventriculi, pulmonumq; obstructiones. Quibus accedebat, præter naturalem, adscititius aliquis, vt putabam, iecoris calor, importuno forsan calidorum medicamentorum vsu excitatus, quæ ad cerebrum corrigendum priùs fuerant oblata. Id ostendebat flauæ, quandoq; & atræ bilis copia, quæ cum primæ coctionis excrementis tunc plurimùm excernebatur. Quare collectis indicationibus pulmones aperiendi, cerebrum calefaciendi, & exiccandi, ventriculum calefaciendi, iecur refrigerandi, & humectandi. Et quia morbi erant cum materia, pituita præsertim, & melancholia, materiam priùs educendi, quæ quoniam cruda

2. de Part 7.

Auic. 5. 3. tract. 1. cap. 11

3. de sympt. caus 2.

da erat, eam antea concoquendi. Cæpi ventriculo exinanito, totoq; corpore, & cerebro, post coctionem, purgato, pulmonibus præterea apertis, decoctionem instituere, quæ cerebrum calefaceret, & exiccaret, additis tamen jis, quæ simul iecoris calorem, & siccitatem corrigere possent, viscerisq; vires conseruare. Hic non arbitror necessarium particulares medicamentorum materias, quibus vsus fuerim, recensere, tum quoniam id mea, non postulat defensio, tum quia, cognitis medicis intentionibus, facile vnusquisque, in genere saltem, potest ea excogitare, & cognoscere. Hoc satis sit, quòd, vt superius retuli, hiemis principio ægrotans satis bene se habuit, de ventriculo enim quærelæ nullæ, sic & catarrhus, tussisque prope nulla; nec vllus ad aliam partem pituitæ confluxus. Cerebrum erat satis firmum, quare etiam voluit, suis viribus nimis fidens, tota hyeme noctu, vt dicebamus, per oppidum perambulare. Recidit in veris principio, vel potius circa hyemis finem. Et quamuis iterum eius curationem aggrederer, nõ adeo morbi diuturnitate impeditus, sicut repetitis eius, vt dicebam, extra oppidum egressibus perturbatus, nihil proficiebam, quare coactus fui, deserto pene ægroto, ad eam deuenire protestationem, quam superiùs enarraui: vulgatâ postea famâ de meo in patriam regressu, Thessalum ægrotans aduocauit, qui, (etsi sępius rogatus) eum nunquam inuisere voluit: misit tamen nonnulla medicamenta, quæ, quænam fuerint, ignoro. Hoc vnum scio inter ea syrrupum fuisse de symphyto ad lambendum, ac sandalos rubros in decoctionibus. Quibus tussis, quæ antea etiam erat infesta, & spirandi difficultas adeo increuêre, cum ferè nihil excemeret, vt infælix homo ante mortis fores se constitutum cognosceret. In hoc statu, etsi cum pudore, ad me quendam misit, qui celata de Thessalicis erroribus historia, meam opem rogaret. Nuntius consilium petijt, non tamen de Thessali medicamentis, quæ cognoscebat, reticuit. Aegrotum conueni, hominemq; in præcipiti statu obseruaui. Aderat siquidem febris continua, quæ vnaquaq; die, varijs tamen horis, cum leui horrore exacerbabatur, tussis infestissima, illud parum, quod excernebatur, erat valdè tenax, & viscidum, viride præterea, non pauco sanguine commixtum, saporis non ampliùs insipidi, sed salsi. Quod verò in pulmonibus relinquebatur, orthopneam

excitabat; propter quam, & ob tussis violentiam fiebat, vt nec quartam horæ partem continuò ægrotans somno indulgere posset. Ventriculi vires prorsus labefactatæ, vt vix liquida alimenta concoquerent, vel sustinerent. Aderat præterea aliquis alui fluxus, quo multoties bis, quandoq; ter, ad summum quater, etsi aliquando semel tantum 24. horarum spacio cum flatibus excrementa deijciebat, liquida, coloris varij, quandoq; flaui, quandoq; nigri, aliquando albicantis, in paucâ tamen, vt plurimum, quantitate, & absq; vlla sensibili virium iactura. In hoc autem statu vrinæ erant satis bonæ, nec à pristino statu valdè recedebant, colore siquidem tantùm ad rubedinem plusquam antea solerent vergebant, substantia verò, & contentis parum erant, quum prius fuerant crassiores: istis præterea suspensis existentibus & diuulsis, febrem ex genere quotidianarum arbitrabar, tum quia eius calor non erat valdè intensus, sed humidus, qui tamen dum partes manu diutius contrectarentur, aliquam præ se ferebat acrimoniam, tum quia pulsus erant non admodum frequentes, neq; in multam altitudinem supra naturalem attollebantur, tum tandem quoniam aderant notæ, quæ totum corpus, superiores præcipuè partes, pituitâ scatere demonstrabant. Pituitam igitur febris causam constituebam, partim intra cerebrum, partim in pulmonibus, partim tandem in aliarum superiorum partium venis putrescentem. Nec tamen solam, quippe probabile erat, cum in cerebro ob validissimas per tussim concussiones tanta traheretur sanguinis copia, vt amplius à natura non regeretur, sed per venarum tunicas exudans, se cum labenti pituita immisceret, & hanc, præsertim putrescens agens tam proximũ nactam, putrescere. Quod etiam indicabat pulsuum non spernenda validitas, vt suo loco dicemus, & vrinarum rubor, bilis verò & melancholiæ putrescentium nullæ aderant notæ, quòd scilicet hic duo humores præcipuè continuò per intestina detruderentur. Cæterum putredinis focum cerebrum ipsum fuisse, præter pulmones, & alias superiores venas, pituitæ salsedo demonstrabat, cuius initia in cerebro & capite clarissimè cernebantur. Eaq; in hoc casu putredinis proculdubio, non commissionis adusti, vel seroſi excrementi abundè confluentis cum illo humore erat effectus. Verissimum quidem est, quod crediderunt Auicennas, & Auerroes, imo quod Aristot. &

2. de Crit. 5. 1. ad Glauc. 7.

1. Tract 4. cap. 2. 3. collig. 6. 2. Meteor. 3.

& Gal. docent, salsedinem in pituita ex adustæ bilis commistione cum seroso excremento originem trahere, vel communiter ex adustis partibus, vtpote calidis exhalationibus, cum aquea humiditate iunctis, sicuti in mari cernere est. In quo, vt obseruauit philosophus, si cereum vas impositum fuerit, ore diligenter circumligato, quod in ipsum per eius parietes ingreditur, potabilis aqua est, ijs scilicet tantùm partibus permeantibus, quæ tenues sunt, terrestribus vero, & adustis quæ per commistionem salsedinem efficiebant, exterius relictis. Imò, vt nosmetipsi vidimus. Est enim prope Venetiarum vrbem in arenoso solo perennis puteus, vnde triremes omnes, quæ à ciuitate discedunt aquam hauriunt. Huius latices quamvis cum mari crescant, & decrescant, proindeq; ab ipso originem trahant, dulcissimæ tamen sunt. Quia scilicet per arenosam substantiam crassis partibus exutis ad puteum simpliciſſima tantùm aqua, omnisq; admistionis immunis perueniat. Attamen in hoc casu insignem putredinem huius salsedinis causam putabam; pituita siquidem adeo viscida cernebatur, vt adusti humoris aliunde confluentis nullam admistionem posse pati crederetur; crassissima præterea, vt nullius salsi, & serosi excrementi particeps videretur. Reliquum igitur erat, vt dicebamus, salsedinem illam à putredine fieri, veluti nonnunquam contingere docuit Galenus. Quòd scilicet quæ putrescunt, velut in cinerem conuertantur, cineres autem omnes salsi sunt, aut amari: ex admistione verò dulcis temperati, siue insipidi frigidi cum amaro, & valdè calido, fit quoddam medium, salsum inquam, quod neq; frigidum, aut temperatum est, vt insipidum, & dulce, nec vehementer calidum, vt amarum ipsum. Nec me ab hac opinione dimouebat quòd nullum tunc aderat propriè coma, nullum delirium, aut alia per se valdè sensibilis præter salsedinem à calore cerebri noxa, nam facilè fieri poterat, vt ex tota illa pituitæ massa, quæ in cerebro continebatur, paucæ admodum illæ essent particulæ, nempe humidiores, per cæteras dispersæ, quæ ad vltimum putredinis gradum, & cinerem peruenirent. Reliquæ verò sicciores putredini adeo resisterent, vt quamuis possent in calido corde febrem excitare, ab illa tamen infectione leuiter tantùm inquinarentur: frigidumq; cerebrum nulla sensibilitate inficerent. Nec enim, dum adest putri-

2. de diff. feb. 6.

da febris continuò sequitur, ergo totum mistum putrescens est iam corruptum, vel putredo insignis existit; sed satis est, si in ipso ad putredinem aliqua introducatur dispositio, mistumq; continuò ad hanc corruptionem alteretur. Quo etiam factum
11.Meth.8. fuit vt Galenus medicam putredinem considerans, eam, non in
4 Meteor.2. facto esse, dum forma iam corrumpitur, vt fecit Aristoteles, sed in fieri, dum adest simplex ad corruptelam mutatio definierit. Fluxum verò varium partim à cerebro, magis à iecore prouenire putabam. A cerebro, quòd pituitæ portio per neruum sexti paris, & stomachum in ventriculum laberetur, vt alba illa spumosa, quæ quandoq; etsi rarò, in deiectionibus cernebãtur, satis declarabãt. A iecore verò, quod hoc viscus calidũ adustã melancholiã, de qua diximus, flauam præterea bilem per intestina partim detruderet. Hic præter eas intentiones, quas superiùs explicaui, & quas tunc validiores cognoscebam, ob indicantis maiorem vehementiam; & pulmones quidem magis erant obstructi, quàm antea, & cerebrum, saltem per naturalis caloris depriuationem, erat magis refrigeratum, externaq; humiditate deprauatum, & pituita in maiori quàm vnquam copiâ repertebatur, tenaciusq; ob importunum adstringentium vsum partibus adhærebat, videbam nouas nobis sese offerre indicationes, à febre desumptas. Intemperiem scilicet hanc refrigerandi, & humectandi, eius antecedentem causam, humores scilicet iam putridos, euacuandi, vl-
11.Meth 4. &c. teriorem putredinem inhibendi, obstructionesq; putredinis causas, tollendi, præterea (quod valde vrgebat) salsedinem corrigendi. Hæc siquidem, si in corpore, præsertim calido, & sicco,
Auic.l 3.fen. 5.tract.1. cap.11. in humoribus prope cor diutiùs perdurâsset, sicuti pituita illa salsa, in pulmones lapsa, ibi iam diu perdurauerat, tabem facilè excitare potuisset. Harum verò non paucis mihi videbar partim sa-
10.Meth.10. tisfacturus, si venam aperirem. Et febri refrigerando per accidens saltem obsisterem, & peccantes humores diminuerem. Apertâ enim venâ natura, dum potest, quod vtilius est retinet, quod magis nociuum emittit, vnde materia imminuta, potest ea, quæ
8.Meth.4. remanent, faciliùs superare. Obstructiones aperirem, per eandem namq; humorum imminutionem fit, vt succi in vasorum tunicas, non adeo, vt prius, impingantur, & propterea venarum orificia

minus

minus claudant, quare etiam putredinem coercendo, eadem ratione salsedinem auferrem, tabisq; periculum longiùs remouerem. Considerabam præterea peccatum, veluti superiùs demonstrauimus, partim in sanguine existere, cuius remedium, medicorum omnium consensu, sanguinis est emissio; locum putredinis in præstantissimis partibus locum habere, cerebro scilicet, & pulmonibus. In quarum prima, si putredo inualuisset, coma aliquod per se, deliria, & extrema quæque mala erant expectanda. In altera verò tabem declinandi, nulla spes reliqua. Perpendebam in partibus illis, cerebro præcipuè, non quidem plethoram, vt Thessalus dixit, quæ plenitudinem quoad vasa significat, sed particularem aliquam quoad vires plenitudinem, etsi partim cacochymiam, reperiri, vt perpetua illa sanguinis expuitio, & hæmorrhoidum diuturna retentio demonstrare poterant, impossibile verò esse, vt vires, dum ab humorum copia premuntur, obstructiones tollant, adeoq; putredinem inhibeant. Videbam tandem mihi ad pituitæ crassitiem, & visciditatem corrigendam, pulmones aperiendos, orthopnoeam remouendam vlum incidentium, & abstergentium validiorum, quæ insigniter calida sunt, fore necessarium, quæ locum habere non poterant, dum febris instabat, ne calidum & siccũ corpus magis caleficeret, & exiccaretur, in hectica mq; febrem præcipitaretur. Proindeq; nisi venâ sectâ febrem abstuliſſem, mala illa fore incorrigibilia. Venam igitur esse aperiendam clarissimè cernebam, in hoc q; præcipuo, imo vno potius auxilio salutis vnicum fundamentum (si salutis vlla spes esset) cognoscebam. Cæpi igitur diligentiùs pulsus tractare, quandamque in ictibus differentiam obseruare, vtrum scilicet duritiei esset, an validitatis effectus, quòd aliqua vehementia dilatata arteria digitos feriret; statuens, si illa fuisset validitas (cum, vt suo loco demonstrabimus, fluxus non impediret) venam prorsus secare: si duritiei; ægrotantem inter tot mala, & iam in hectica frebre constitutum, prorsus deploratum, vel solo prognostico relinquere, vel demulcentibus tantùm remedijs ad mortem vsq; tractare. Hic non solùm qui me tunc sequebantur, sed ægrotans ipse, & adstantes plures testes sunt, me nunc vnam, nunc alteram arteriam tangendo semihoræ spacium in ista deliberatione absumpsis-

4 de dignosc. pul. 1. se, donec tandem eam pulsus differentiam, validitatem esse apertissimè perspexi, quod non solùm diastole tangentem digiti eutem premeret, sed digitorum compressionibus, dum attolleba-tur, non cederet, ipsosq; compremẽtes digitos quodam modo euerteret. Quapropter vas secandum iam examinabam, quòd hæmorrhoidum retentio, aduſtiq; humoris copia has potius venas esse aperiendas ostenderent. Placuit tamen superiores secare, tum vt è directo à loco affecto reuellerem, & è propinquo pressas partes magis subleuarem, tum etiam ne importunum hæmorrhoidum fluxum excitarem, qui postea, naturâ præsertim ad intestina iam alia ratione propensionem habente, non facile compescerctur. Quare qua die à febris inuasione intelligere nõ potui, Kal. Iunij, cephalicam secaui, obseruatoq; effluentis sanguinis colore valdè atro, apertum orificium digito quandoq; claudendo, quandoque reserando pluribus vicibus, spacio tamen semihoræ, quatuor ad plurimum sanguinis vncias eduxi, quòd cacochymia vlteriorẽ emissionẽ non permitteret. Placuit autẽ iteratis potiùs venæ apertionibus, quàm vnica vice sanguinem extrahere, vt inde vires non nimis firmæ minùs læderentur. Non quòd putem ego, dari in venis cum sanguine spiritus, naturales appellatos, quorum maior copia vnica sed liberali emissione, quàm multiplici, & parcâ effundatur, sed quoniam ex continuato effluxu retentrix infirmior redditur, quo minùs possit sanguinis vtiliores partes continere, à motuq; arcere. Quod non tam facilè euenit, cum post leuem effusionem sanguinem comprimimus, ac tum expultricis motum, tum etiam humorum agitationem per breue tempus compescimus. Iterum namque tunc retentrix consurgit, opusq; suum resumit. Post hæc institutis inunctionibus nonnullis aperientibus pro pectore, syrupisq;, & decoctionibus incidentibus, & abstergentibus, non tamen validis, febris progressus obseruabam, quæ satis leuis ea die invasit, sequenti verò, & pluribus alijs ægrotans ab illa fuit prorsus immunis, sputamina autem illico à phlebotomia absque sanguine apparuere, salsedinemque fere statim exuêre. Hoc tempore consurgentibus præsertim ventriculi viribus cum aluus tum die vna ante sanguinis emissionem, tum etiam die emissionis semel tantùm, & parcè deiecisset,

ne

ne ventris fluxus cohiberetur, & ab intestinis ad cauam venam humores, qui antea deijciebantur, sanguinis præcipuè illa emissione (quam, vt refert Trincauell; nonnulli ad fluxus sistendos pro secreto habent) traherentur, oleum amygdalarum dulcium vnaquaq; die, in pauca tamen quantitate, propinaui, quo non solùm respirationis instrumenta lubrica redderem, sputaminibusq; vias pararem, sed intestina etiam deiectionibus procliuia efficerem, corpusq; totum siccius humido alimento restaurarem. Non erat, vt arbitror deiectio illa prorsus symptomatica appellanda, cum neq; à naturæ irritatione procederet, neq; crudi humores febrem facientes excernerentur. Putredo namq; vt dicebamus, in pituita præcipuè, mox & in sanguine locum habebat; bilis verò, & melancholiæ putrescentium nullæ aderant notæ. In sedibus autem pituita rarò admodum, & valde obscure, duo vero illi humores conspicuè, & clarissimè cernebantur. Quare magis erat probabile succos istos excrementosos absq; putredine, & cruditate, ac sine vlla irritatione excerni, expultrice scilicet inutilia, partim tunc genita, partim priùs acernata, non secus ac in criticis motibus euenit, naturali instituto detrudente. Sed dato etiam excretionem fuisse symptomaticam, ab irritataq; à morbi causa natura originem duxisse, quoniam vires non labefactabat, ne humores in partem principem, (vt inquit Concil.) impetum raperent, non erat ista sanguinis emissione compescenda. Quare omni ratione tentaui lubricantibus eatenus humores ad intestina allicere, quatenus sanguinis effusione ab ijs partibus eos antea reuulserant. Hac tamen etiam ope hinc ægrotans nunquam vltra tres sedes spacio 24 horarum habuit. Verùm cum in sputaminibus coctio adhuc tardiùs progrederetur, febris autem iam locum dedisset, placuit tandem ad validissima abstergentia, & incidentia ascendere. Quia tamen adhuc istorum caliditatem, & siccitatem timebam, ipsa prius cum lacte exhibere volui, quod tum has eorum excedentes qualitates corrigeret, tum per se, non secus ac oleum, vias lubricaret, corpusq; totũ nutriret. Taliq; pacto à temperatis medicamentis, syrupo vtpote acetoso simplici, de capillis veneris, melle rosato simplici, & similibus cum oleo virtute paulo calidiori, & humidiori, ad insigniter calida, & ficca medicamenta,

9 Curat. meth. 6.

6. de sanit. Tu. 9.

diff. 100. Actius lib 9. cap. 25.

menta, Lohochi videlicet ſanum, & expertum, radices eringij, ſemina vrticæ, & ſimilia primùm, deinde etiam ad aliquos ſulphuris flores, cum lacte virtute frigido, & humido deuenit; ad ſimpliciter calida, & ſicca, abſq; lacte, cum cichoraceis tantùm tandem peruenturus. Ordo erat iſte, prima luce ad vias præparandas exhibebam vnciam vnam ſyrupi de capillis veneris cum portiuncula ſyrupi de hyſſopo. Poſt horam vnam introducta in cubiculum capra ijs prorſus regulis, quas Gal. in curatione ſiccæ intemperiei ventriculi nos docet, lac ſtatim poſt emulſionem propinabam, à quo immediatè ſaccari fructum offerebam. Tribus inde horis, cum iam corporis parietes (vt ita dicam) lactea humiditate muniti eſſent, electuarium aliquod, antea ſcripta recipiens, exhibebam, à quo per horam vnam, & ſemis prandium concedebam, & tribus ab ipſo horis ſyrupos lambendos vſq; ad horam vnam ante cœnam permittebam. Tempore verò noctis ſyrupum alium calidiorem vrgente tuſſi proferebam, eodem tempore thoracem aperientibus inungebam, ventriculiq; calorem linimentis fouebam. Vnde tandem & ſputamina alba, magis concocta, multa, & frequenter excernerentur, & orthopnoea in integrum fere abiret, & ventriculi vires conſurgerent, ſolidaq; alimenta ægrotans comederet, & rarò vltra duas ſedes, nec adeo vel atras, vel flauas, vt priùs, magiſq; conſiſtentes haberet, dormiret, ambularet, vires omnes recuperaret. Hic quamuis ſatis ſuiſſet ad horum duorum præſidiorum, phlebotomiæ, & lactis probationē fœlix euentus: non ſolùm namq; Gal. Hippocratis argumentum à iuuantibus, & lædentibus paſſim magnum appellat, ſed & philoſophus demonſtrationem ab effectu potiſſimè comitem eſt arbitratus, placuit tamen & rationes, quæ nos ad illa vſurpanda adduxerunt, breuiter enarrare. Quæ nec ſolæ fuere, nam pro phlebotomia acceſſit Arabum authoritas, Auicennæ præcipuè, qui in febribus putridis, dum vrina craſſior, & rubicundior eſt, phlebotomiam probat, Meſues, Serapionis præterea, Eſchor, Raſi referente, & Raſis ipſius. Græcorum præterea, inter quos Gal. pro omnibus valeat qui agens de putridarum febrium curatione ſcribit. *Saluberrimum igitur eſt in omnibus febribus venam incidere, non continentibus modò, verùm etiam alijs omnibus, quas putreſcens humor concitat, vbi*

7. Meth. 6. 7.

1. poſt.

1. 4. tract. 2. cap. 56. de feb. ſect. 2. c. 3. l. 30. tract. 11. c. 2. 11. Meth. 15. 4. de ſan. tuend 4.

bi præsertim nec ætas, nec vires prohibent. Alibi verò agens de lassitudinum curatione, ostendit, vigentibus eruditatibus, venas esse secandas, quotiescunque sanguinis adsit copia. Quis autem dubitâsset in superioribus saltem venis sanguinis adfuisse copiam, cum, vt dicebamus, ægrotans sanguinem continuò expueret, ac hæmorrhoides per longum tempus antea fuissent retentæ? Nisi forsan dicet Thessalus retentionem hanc arguisse melancholicæ potiùs cacochymiæ, quàm sanguinis multitudinem. Atqui Gal. in melancholica etiam cacochymia venas aperit, exeuntemq; sanguinem obseruat, quem si atrum inspicit, effluere permittit. In hoc autem casu emissum sanguinem valdè atrum fuisse, nec Thessalus ipse, vt puto, qui eum vidit, negarit. Verùm in casu nostro nos & recentiores medicos fautores habemus Trincauellium, Rondeletium, Capivaccium, Massariâ, Mercatum, alioſq; omnes, quorum nec vnus saltem negaret, peccante sanguine, consentientibus viribus, sanguinis missionem esse summopere probandam. Pro lacte verò præter cæteros eundem habemus Galenum, qui illud maximè in pulmonum, & Thoracis vitijs probat, alimentumque præterea optimi succi, & familiarissimum iudicat, quod ad concoctionem, ventris subductionem, excrementorumq; pectoris eductionem, distributionem, dulcedinem, & voluptatem, ijs præsertim quibus venæ latæ sunt, valdè faciat. Et, si capiti est inimicum, quoniam ob propter aliquas in ipso crassiores partes, frigidioresq; contingit, capiti etiam in hoc casu familiare ijs medicamentis reddebatur, quæ parum post ipsum exhibebam. Quorum è contra & illud, vt dicebam, infensas corrigebat qualitates, non secus ac apud Hippocratem in Eratolai filio dysenteria laborante humorũ caliditatem, acrimoniamq; castigabat, vt hæc duo lac, & electuarium vnum constituerent, quod nec frigidũ esset, nec valdè calidum, & siccum, sanguinemq; absumens, neq; crassum, sed aperiens, & lubricans, ac nutriens. Ne tamen videar in re iam manifesta tempus conterere, placet tandem Thessali rationes perpendere, ab eiusq; calumnijs duo proposita præsidia vendicare: primùm igitur occultas virium infirmitas, quam dixerat vnumquemq; medicinæ etiam ignarum obseruare potuisse; Et quia res est longè maximi momenti, in hoc enim & antiqui & recentes

3. de loc. aff. 7.

com. in Auic. lib. de feb. cap. prop. 6. praxis 32. 5. praxis 21. 6. praxis 12.

3. de Alim. 15. 7. de comp. pro loca 1. 1. de succ. bon & vit. 4. 1. de alim. 15.

7. Epidem. 4. Acut. 113. &c.

menta, Lohochi videlicet sanum, & expertum, radices eringij, semina vrticæ, & similia primùm, deinde etiam ad aliquos sulphuris flores, cum lacte virtute frigido, & humido deueni; ad simpliciter calida, & sicca, absq; lacte, cum cichoraceis tantùm tandem peruenturus. Ordo erat iste, prima luce ad vias præparandas exhibebam vnciam vnam syrupi de capillis veneris cum portiuncula syrupi de hyssopo. Post horam vnam introducta in cubiculum capra ijs prorsus regulis, quas Gal. in curatione siccæ intemperiei ventriculi nos docet, lac statim post emulsionem propinabam, à quo immediatè saccari fructum offerebam. Tribus inde horis, cum iam corporis parietes (vt ita dicam) lactea humiditate muniti essent, electuarium aliquod, antea scripta recipiens, exhibebam, à quo per horam vnam, & semis prandium concedebam, & tribus ab ipso horis syrupos lambendos vsq; ad horam [illegible] ante cœnam permittebam. Tempore verò noctis syrupus calidiorem vrgente tussi proferebam, eodem tempore [illegible] aperientibus inungebam, ventriculiq; calorem linimentabam. Vnde tandem & sputamina alba, magis concocta, frequenter excernerentur, & orthopnoea in integrum [illegible] ret, & ventriculi vires consurgerent, solidaq; alimenta æg[illegible] comederet, & rarò vltra duas sedes, nec adeo vel atras, vel flau[illegible] vt priùs, magisq; consistentes haberet, dormiret, ambularet, vires omnes recuperaret. Hic quamuis satis fuisset ad horum duorum præsidiorum, phlebotomiæ, & lactis probationē fœlix euentus: non solùm namq; Gal. Hippocratis argumentum à iuuantibus, & lædentibus passim magnum appellat, sed & philosophus demonstrationem ab effectu potissimè comitem est arbitratus, placuit tamen & rationes, quæ nos ad illa vsurpanda adduxerunt, breuiter enarrare. Quæ nec solæ fuere, nam pro phlebotomia accessit Arabum authoritas, Auicennæ præcipuè, qui in febribus putridis, dum vrina crassior, & rubicundior est phlebotomiam probat, Mesues, Serapionis præterea, Esehor, Rasi referente, & Rasis ipsius. Græcorum præterea, inter quos Gal. pro omnibus valeat qui agens de putridarum febrium curatione scribit. *Saluberrimum igitur est in omnibus febribus venam incidere, non continentibus modò, verùm etiam alijs omnibus, quas putrescens humor concitat, vbi*

7. Meth. 6. 7.

1. post.

1. 4. tract. 2. cap. 56. de feb. sect. 2. c. 3.

l. 30. tract. 11. c. 2.

11. Meth. 15.

4. de san. tuend 4.

bi præsertim nec ætas, nec vires prohibent. Alibi verò agens de lassitudinum curatione, ostendit, vigentibus eruditatibus, venas esse secandas, quotiescunque sanguinis adsit copia. Quis autem dubitâsset in superioribus saltem venis sanguinis adfuisse copiam, cum, vt dicebamus, ægrotans sanguinem continuò expueret, ac hæmorrhoides per longum tempus antea fuissent retentæ? Nisi forsan dicet Thessalus retentionem hanc arguisse melancholicæ potiùs cacochymiæ, quàm sanguinis multitudinem. Atqui Gal. in melancholica etiam cacochymia venas aperit, exeuntemq; sanguinem obseruat, quem si atrum inspicit, effluere permittit. In hoc autem casu emissum sanguinem valdè atrum fuisse, nec Thessalus ipse, vt puto, qui eum vidit, negarit. Verùm in casu nostro nos & recentiores medicos fautores habemus Trincauelliũ, Ron- letium, Capivacceum, Massariã, Mercatum, alioſq; omnes, quo- nec vnus saltem negaret, peccante sanguine, consentientibus sanguinis missionem esse summopere probandam. Pro ò præter cæteros eundem habemus Galenum, qui illud in pulmonum, & Thoracis vitijs probat, alimentumque a optimi succi, & familiarissimum iudicat, quod ad con- nem, ventris subductionem, excrementorumq; pectoris e- tionem, distributionem, dulcedinem, & voluptatem, ijs præ- sertim quibus venæ latæ sunt, valdè faciat. Et, si capiti est inimicum, quoniam id propter aliquas in ipso crassiores partes, frigidioresq; contingit, capiti etiam in hoc casu familiare ijs medicamentis reddebatur, quæ parum post ipsum exhibebam. Quorum è contra & illud, vt dicebam, infensas corrigebat qualitates, non secus ac apud Hippocratem in Eratolai filio dysenteria laborante humorũ caliditatem, acrimoniamq; castigabat, vt hæc duo lac, & electuarium vnum constituerent, quod nec frigidũ esset, nec valdè calidum, & siccum, sanguinemq; absumens, neq; crassum, sed aperiens, & lubricans, ac nutriens. Ne tamen videar in re iam manifesta tempus conterere, placet tandem Thessali rationes perpendere, ab eiusq; calumnijs duo proposita præsidia vendicare: primùm igitur occurrit virium infirmitas, quam dixerat vnumquemq; medicinæ etiam ignarum obseruare potuisse; Et quia res est longè maximi momenti, in hoc enim & antiqui & recentes

3. de loc. aff. 7.

com. in Auic. lib. de feb. cap. prop. 6. praxis 32. 5. praxis 21. 6. praxis 12.

3. de Alim. 15. 7. de comp. pro loca 1. 1. de succ. bon & vit. 4. 1. de alim. 15.

7. Epidem. 4. Acut. 113. &c.

recentes medici fere omnes cum Hipp. & Gal. consentiunt, virium validitatem ad venam aperiendam necessariò requiri, nec forsan satis apparet, quid per vires, quid per validitatem intelligam, non grauabimur, quamuis minus coacti, argumentum hoc accuratiùs pertractare, totamq; virium historiam paulo altiùs à principio repetere, vt hinc saltem omnibus, etiam Medicinæ ignaris, appareat, quantum Thessalus noster, cæteriq; Empirici, qui vrinæ tantùm inspectione contenti, absq; alia instructione phlebotomiam, & validissima quæq; præcidia instituunt, vel ab alijs instituta condemnant, & in miseros ægrotantes crudeles, & inhumani sint, & in proborum medicorum famam iniurij. Age, Quoniam perpetua est hominis ab externis alteratio, perpetuoq; in singulis partibus, tum igneis, & aereis, tum aqueis & terreis mors, istorum quoq; omnium restauratio, & quasi regeneratio, ad durationem erat necessaria: fit autem hæc per alimentum multis alterationibus priùs immutatum. Quoniam verò nequibat vna simplex pars tam multas alterationes absoluere, in homine necessaria fuere viscera, quæ alimentum pararent, & paratum partibus offerrent. Talia iecur, & cor fuere. Illud namq; alimentum aqueum, & terreum magis, hoc igneum potius, & aereum partibus subministrant, ipsisq; materias quasi præbent, quibus, quod defluit, restituant, quod corrumpitur, regenerent. Et quoniam si cor cum iecore conferatur, illud agens, hoc passum, illud calorem, & humiditatem in spiritibus perpetuò micantibus, hoc frigus, & siccitatem in humoribus ex se quiescentibus administrare videntur, cor vitalium facultatum fons, totiusq; vitæ, quæ in actione consistit, principium, iecur naturalium appellatur. Dicamus primò de iecore. In hoc, saltem ad Galeni mentem, prima vis sanguifica residet. Hoc magis materialis (vt ita dicam) alimenti est scaturigo, vt ipsius viribus, quamuis leuiter, labefactatis maxima in toto corpore sequantur incommoda. Viscus tamen hoc non per se singula sua munia complet, sed famulos habet, quorum aliqui ei succum in sanguinem conuertendum præparant, veluti os, ventriculus, intestina, quæ vltima præterea peculiare obtinent officium, excrementa in hac præsertim præparatione genita excernendi. Alij præparatum succum deferunt, vt

venæ

venæ meſentericæ. Nonnulli ſuccum iam abſolutum excrementis expurgant, vt renes, lien, veſicula fellis. Alij tandem expurgatum diſtribuunt, quales ſunt propagines omnes venę portę, & cauæ. Cor & ipſum ſeruos obtinet, quorum nonnulli ipſum refrigerant, & ad ſpiritus generandos materiam ſubminiſtrant, pulmones nempe, cæteraq; inſpirationis inſtrumenta aerem, iccur verò ſanguinem. Alij iam abſolutos ſpiritus excrementis exonerant, vt pulmones ijdem, aliaq; expirationis organa. Alij tandem expurgatos per totum corpus deferunt, vt arteriæ. Cæterùm quoniam non debebat homo alimento vbique exiſtente nutriri, ſicuti plantæ, ſed vt plurimum remoto; quoniam præterea multis externis contrarijs, præter ea, quæ eum continuò ambiunt erat obnoxius, illi fuit neceſſaria tertia virtus, animalis appellata, ſenſu & motu circumſcripta, qua diſtans alimentum cognoſceret, & peteret, præſentiaq;, vel remota contraria declinaret. Tertia hæc virtus, quoniam & res cognoſcendæ variæ ſunt, tangibiles qualitates, ſapores, odores, ſoni, colores, & motus perficiendi diuerſi, ſurſum, deorſum, ante, retro, dextrorſum, ſiniſtrorſum, non vnica facultate vel inſtrumento in ſenſu, vel in motu exercere poterat, varia itaque ſortita eſt organa. Quę tamen omnia, quoniã & ipſa aliquo egebant fomite, animali ſcilicet ſpiritu, debebant neceſſariò principiũ aliquod nanciſci, à quo ipſum continuò ſortirentur. Cerebrum huic muneri deſignatum fuit, quòd propterea tertia pars princeps à medicis creditur, obtinetq; ipſũ quoq; proprios miniſtros, quorum aliqui, vt cor, & nares, ad ſpiritus illos producendos ei materias præbent. Alij iſtos generatos excrementis expurgent, vt ductus varij ad hoc munus in capite deputati. Alij tandem expurgatos deferunt, nempe nerui. Præterea quia non ſatis homini erat externa per exteriores ſenſus dignoſcere, niſi vires haberet, quibus primò, quæ re diſtincta ſunt ſenſibilia, colorem puta, & ſaporem, cognitione etiam ſepararet, quæ verò re eadem, cognitione iungeret; Deinde quid in his boni, quid mali ſit, iudicaret, vnde orirentur in ipſo appetitus, & fuga: Quia tandem debebat ſemel cognita conſeruare, & recordari, vt abſens etiam bonum petere, malumq; fugere poſſet, virtutes hæ etiam à natura fuere cerebro conſignatæ:

Quæ omnia cum nec dum homini satis essent futura, quippe tegumentis, & armis, quibus contrarijs obsisteret, fere vndequaq; destituto: Quia ptæterea alimento non tam facilè forsan quouis tempore parabili vesci debebat: Et quod magis est, erat ad nobiliorem finem productus, quàm vt vitam in hoc inferiori, & corruptibili orbe duceret, vnde æternus, & à corporeis sensibus abstractus debebat à sensibus remota & æterna intueri, & contemplari, datus etiam illi fuit practicus intellectus, & mens, quibus non solùm practica inuestigaret, sed indifferenter cætera omnia præsentia, & remota, maxima & minima, infinita etiam, aliquo pacto cognosceret. Quod vtiq; pro eius natura perfectè nunc etiam continuò faceret, nisi inter contraria hæc elementa versans sensibus alligatus, non à proprio obiecto, quod deus est, sed à sensibus rerum cognoscendarum species peteret. Et quoniam imagines istæ, & spectra in cerebro residunt, ibiq; à mente considerantur, hæc quamuis corpori immixta cerebro tanquam organo ad agendum non vtatur, in cerebro tamen suam sedem habere dicitur, ibiq; vim suam exercere. Quin etsi immaterialis per se nullius infirmitatis sit capax, quoniam ab istis speciebus, & phantasmatibus in operatione dependet, cerebro laborante, speciebus vel deficientibus, vel deprauatè motis, mens etiam vel otiari, vel errare cogitur, vt non immeritò cerebri infirmitates in lato quodam sensu mentis ægritudines dicantur. His omnibus, cæterisq; ab his dependentibus accedit sustinendi corpus necessitas, cui per ossa satisfit, & speciem conseruandi, cui testes in maribus, vterus, & forsan etiam testes in fæminis destinantur. Quæ etiam partes quasdam administrantes sortitæ sunt, quas nos docent Anatomici, vt nulla prorsus particula in toto corpore reperiatur, quæ virtutem aliquam, vel vsum non habeat. Istarum autem omnium virium quasnam validas postulàsset Thessalus, vt sanguinem rectè in casu nostro emissum diceret? Puto eas, quas vel vulgares, Medicinæq; indocti in proposito casu infirmas fuisse cognoscere potuerunt. Id namq; prima sua responsione velle videbatur, dum dixit ægrotantis nostri vires cuiusuis iudicio, dum sanguis emissus fuit, infirmas extitisse. Medicinæ autem ignati cognoscere possunt primùm de genitalium virium firmitate,

te, per eius actus, qui sensibus manifestissimi sunt. Hæne requirebantur firmæ, vt sanguis rectè emitteretur? Sed quid quod & eunuchis etiam, & spadonibus sanguinem effundemus? Mihi verò hactenus nunquam occurrit Medicus vllus, qui earum per se, in febribus præsertim, sanguinem emittendo rationem vllam habuerit: si namq; eas quandoq; consideramus, id est per accidens, quatenus earum deprauatio, & in operibus imminutio vires alias lædunt, vt in hystericis passionibus, in quibus sæpius cor in syncopem trahitur, cernere est. Animaduertere forsan potuerunt illi animalium virium statum, quæ ad motum saltem valdè erant infirmæ, deprauatæ præterea tum in hoc, tum in sensu, quòd perpetuis vigilijs plus agerent, quàm requirerentur. Sed quæritur, Thessalus harum quoq; validitatem, vt rectè sanguis educatur? Atqui Hipp. & Gal. Medicíq; omnes, dum animales vires fere omnes sunt ablatæ, vt in Apoplexia, vel deprauatæ, vt in phrenitide, sanguinẽ emittunt. Oportet igitur dicamus, si & vires istæ in cõsiderationẽ quandoq; veniant, id esse quatenus naturalibus, vel vitalibus viribus obsunt. Istasq; propterea virtutes principaliter semper esse considerandas, illarũ verò impropriè tãtum quãdoq; rationẽ habendã. Sanguis quidẽ emittitur ad morbos superãdos, vitamq; conseruandã. Tantum verò abest, vt ad naturæ de morbo victoriam animalium facultatum valetudo conducere credatur, vt in nostris partibus, optimo consilio, omnes grauiter ægrotantes, præsertim putrida febre (nisi hæc simplex quartana intermittens fuerit) laborantes, se toto morbi tempore lecto contineant, quo animalibus viribus imbecillioribus effectis, spiritus, qui nervos, & musculos reliquerunt, se ad venas & arterias contrahant, ibiq; coctionem promptius celebrent: sed, si rem, vt est, dicere debemus, neque animalium virtutum robur Medicinæ ignari rectè possunt dignoscere; nam in phrenitide, delirijs, maniacisq; passionibus, in quibus motus sunt violentissimi, in paulo humidioribus præterea complexionibus, in quibus motiones sunt facillimæ, corporisq; agilitas maxima, virtutem firmissimam crederent, quæ tamen sæpius summa imbecillitate laborat. Motionem namq; non simplex actiua virtus perficit, sed ad ipsam organa quoq; faciunt. Si igitur quantum illa resoluta fuerit, tantum & plus ex in-

ad Glauc. 14.

flammatione, vel atræ bilis præsentia ista siccitatis nanciscantur, vel si quanto minùs illa valida extiterit, tantum aut plus per humiditatem nerui, & musculi flexibilitatis sortiti fuerint, quoniam siccitas ad firmitatem, vt in cancris videre est, plurimum facit, humiditas ad agilitatem, fiet, vt etiam in naturæ infirmitate, actionum robur appareat. Quæ de motu diximus, in sensationibus clariùs cernere est. Marcidi namq; exquisitissimo ad mortem vsque pollent sensu, non quòd vires firmas habeant, sed quòd ex siccitate organa minùs inquinentur, ablatisq; à cerebro humidis excrementis, paucissimi spiritus, nulla ratione obruti, præclarissimè munera propria exerceant, iuxta illud Heracliti, *spiritus siccus anima prudentissima.* Quid igitur obstat ne quandoq; dum vulgares vires per se infirmas iudicant, eas per se nos firmas proferamus, actiones verò imperfectas edere dicamus, quòd ab humorum copia premantur, veluti in pueris prorsus contingit? Qua ratione medicinæ ignaci infirmitatem per resolutionem ab ea, quæ per oppressionem, in qua per se vires validę sunt, distinguet, vel etiam in casu nostro, in quo in cerebro tanta fuit pituitæ copia, aliqua præterea sanguinis abundantia, cognoscent? Atqui in virium per oppressionem infirmitate Medici omnes sanguinẽ educunt. Sed video Thessalum nostrum cum Medicinæ ignaris se ad vltimum propugnaculum, naturales scilicet vires, conferentem. Quid autem hîc habebit, quod nobis obijciat, ventriculi infirmitatem? At cum hæc maiori ex parte morbi fere necessarius fuerit effectus, siquidem in pituitosis febribus pars illa, præcipue verò eius os, pituita in eum confluente, Galeno authore, vt plurimum laborat, quoniam ostendimus in febre ipsa nobis licuisse sanguinem educere, sequitur, & in illa ventriculi infirmitate rectè nos idem præstare potuisse; cum præsertim spes esset, ex missione sanguinis febre ablata, illius quoq; vires facilius restaurandas. Iecoris calor phlebotomiam cupiebat, potius, quàm prohibebat, Melancholica cacochymia, vt vidimus, permittebat, vrinæ nunquam præcæ fuere, spuaminum cruditates, cum ab obstructionibus attenuationem impedientibus valdè fauerentur, idem auxilium desiderabant, quo illis apertis, pituita facilius attenuari, & concoqui posset. Sed cur in naturalibus viribus moramur, cum

1. ad Claud. 5.

cum nec ipsæ propria sint emittendi sanguinem norma, vel quòd prorsus ad sanguinem emittendum non sit earum validitas necessaria, dummodo vitales satis robustæ sint, vel potius, quòd probus earum status per propria signa cognosci non possit, nisi ad pulsus, & constitutionis ipsius cordis notas confugiamus? Certè nequimus iecoris, vel cuiusuis interioris in corpore nostro partis statum dignoscere, nisi illius actus, & effectus contemplando. Naturalium verò facultatum opus, quod in casu nostro requiri potest, coctio est, quòd scilicet partes alimentum ita alterent, vt nutriantur, & (quod magis ad rem facit,) peccantes humores concoquant, & ad excretionem præparent. Coctio autè hæc nulla alia ratione in ægrotantibus magis cognoscitur, quàm per excrementa humorũ, qui veniunt concoquendi. Per vrinas scilicet, si bi in venis sint, per deiectiones, si in ventriculo, & intestinis, per sputamina, si in pulmonibus. At quænam per sedimenta, & vrinas concoquentis validitas, quænam coctionis indicia in Merone vidit Hipp. dum retrimentis tenuibus bilosis, vrinis pariter tenuibus, subnigris, contentis dispersis, non subsidentibus ad sanguinem è naribus educendum capitis lotionibus vsus est? Certè Gal. in commento scribit & totum iudicium sine coctione fuisse. Vel quodnam cognouit Gal. in Pythione prima die ex vrinis, sputaminibus, ventrisq; excrementis naturalis facultatis robur, dum scribit, necessarium fuisse Hipp. illi statim sanguinem eduxisse, cum, præter alia mala, quarto etiam pauca, mera, bilosa deiecerit, sexto sputa varia, subrubra excreuerit, vrinæ verò à principio ad octauum vsque fuerint tenues, & decolores? Quæ quãuis suspensum habuerint nubilosum, illud tamen tenuissimum erat, potiùs ab extremis malis alicuius recessus indicium, quàm coctionis signum aliquod validum. Horum exemplorum vndequaq; referta sunt Hipp. & Gal. scripta. Præterquam quod apud Medicos vulgatum, & concessum est illud Hyppocratis. In principijs si quid videtur mouendum mouc, quod Gal. in comm. de sanguinis emissione & purgatione explicat: sanguinem scilicet in principijs mittendum esse, dum speramus ægrotantem esse conualiturum. Hæc autem spes non ex vrinis in nobis oritur, quæ tunc crudæ sunt, sed ex pulsibus, qui quantum valeat virtus vi-

2 in 1 Epid. 44. & alibi.

3 in 1. Epid. 34.

1. in 3. Epid. 2.

2. aph. 29.

talis,

talis, influenſq; calor, a quo tandem omnia vitæ munia, coctio etiam ipſa, dependent, demonſtrant. Sed à me forſan quæret Theſſalus, quibuſnam igitur notis Hipp. & Gal. in duobus propoſitis caſibus, & ſimilibus ſanguinis emiſſionem probauerint, cum de pulſibus ibi mentionem non fecerint. Ego verò ad Hipp. quod attinet, arbitror, etſi pulſuum artem non exquiſitè adeo, vt Gal. calluerit, ipſum tamen eius rudimenta obtinuiſſe, pulſuſq; in praxi continuò obſeruâſſe, quod tum ex eius ſcriptis videre eſt, vbi etſi eorum non multam exiſtimationem faciat, ipſos tamen ſæpius notat, tum etiam ex Gal. colligere, qui illum primum pulſuum obſeruatorem credit; ſupplebat autem, quod ipſi de pulſibus deerat Hipp. (quod paſſim apud ipſum legere eſt) per reſpirationis conſiderationem, quæ etſi à vitali facultate, tanquam ab efficiente, in totum non procedat, ad illam tamen, tanquam ad finem, dirigitur, & ab ea plurimum ſui eſſe conſequitur, vt per ipſam etiam vitalium virium ſtatus quoquo pacto cognoſcere non ſit difficile: Galenum verò Hipp. commentando ex morbi magnitudine ſanguinem emittendum iudicâſſe puto, magis autem ex euentibus collegiſſe quàm alia ratione, in morborum principijs vitales illorum ægrotantium vires adeo fuiſſe validas, vt potuerint præſidium illud ſuſtinere. Vitales igitur vires, & pulſus illi ſunt, qui, an ſanguis ſit mittendus, docent, cæteræ verò facultates per accidens tantùm, & non ſemper in conſiderationem veniunt. Si namque, vt inquit Gal. vires (quas vitales poſtea interpretatur) & pulſus validi ſint, nunquam tanta adeſt humorum copia, vel naturalium facultatum tam prava conditio, quæ ſanguinis miſſionem impediat. Cor namque ad ſpiritus generandos ſanguine in iecore genito, & in cauam venam contento vtitur; vt ſi iecur nimis proſtratum ſit, ſi ſanguis nimis malè affectus, impoſſibile prorſus exiſtat, vitales quoque ſpiritus non deprauari, & deficere; ſicut è contra his valentibus neceſſarium prorſus eſt, & iecur aliqua ratione firmum eſſe, & ſanguinem non adeo inutilem exiſtere. De animalibus verò, & generatiuis nihil dubium, ſi enim cor valeat, vitaliſq; facultas polleat, ſanguinis præſertim miſſione morbificâ materiâ imminutâ, poterit natura influenti calido, præcipuo animæ inſtrumento reſiduis materiæ ſuperatis, ſanitatem

1. de morbis mul. 1. de aliment. 2. de diff. pul. 2. 1. quod animi in ſeq. corp. temp. 8.

1. curat per ſang. miſſ. 13.

tem restituere, quo tandem facultates illæ etiam facilè restaurari poterunt. Hæc non simplex nostra opinio est, sed eam legere possumus præsertim apud Vallesium, qui scopum explicans à virium robore in sanguinis emissione, scribit: *Robur virtutis in tribus facultatibus, quibus corpus gubernatur, animali scilicet, vitali, & naturali consistit, harum constantiam ex firmitudine suarum actionum cognoscimus. Meritò tamen robur vitalis, quod pulsus indicat, maioris facimus. Cæterùm manifestum est, non posse ad missionem sanguinis, certum quoddam robur præfiniri, sed experimento, & prudentia debere illud medicum cognoscere. Experimento*, videamus quomodo, quibus instrumentis, *dum tyrones suorum præceptorum praxim observant, multorum arterias attrectando, & euacuationum quantitates in memoria reportando; nam proprium experimentum expectare, citra præceptores, non vacat periculo.* Ecce hic pulsus solum instrumentum, quo de viribus in sanguine emittendo per experientiam iudicamus. Idem sentit Argenterius qui de sanguinis emissione scribit, *Requiri quidem robur aliquod in hac euacuatione, certum est, at non omnium virtutum, sed vitalis duntaxat facultatis, quandoquidem sensu & motu propemodum extinctis, & plurimum debilitatis naturalibus functionibus, sanguinem mittimus.* Idem repetit agens de febribus, *virium robur* (inquit ipse) *non tantùm requiritur ad venæ sectionem, vt vulgus credit, cum satis sit pulsum constare &c.* Idem vult Massaria, *Ego verò sentio* (scribit ipse) *robur vnius facultatis vitalis ad opportunam sanguinis missionem satis esse, & hanc puto fuisse mentem Galeni.* Sed mirum hos & alios (quos sciam) qui hanc sequuntur sententiam, non vidisse Galenum ipsum apertissimè hanc doctrinam explicantem, qui agens de scopis mittendi sanguinem inquit, *Didicisti autem vehementi pulsui cum æquabilitate, tanquam minimè fallax virium robustarum signo, fidem semper habendam esse, exabundanti autem & magno. Itaque & septuagenarijs, modò dicti adsint pulsus, si affectus inhæat, venam secabis.* Quid clarius? At Thessalus cum suis medicinæ ignaris febricitantis nostri pulsus nec antea vnquam tetigit, nec post sanguinis emissionem obseruauit, sed post hanc statim ægrotantis cubiculum ingressus, nulla facta quæstione, nulla habita obseruatione pro sua summa pru-

7. contr. 2.

1. aph. 1.

1. de feb. cap. 7.

1. de scopis cit.

1. curat. cap. 15.

dentia dixit se de phlebotomia audisse, statimq; sententiam protulit, tantum vitæ misero homini demptum fuisse, quantum sanguinis ablatum. O sæcula, O mores! Dicet se vires infirmas indicasse, quia ægrotans vigilauerat, quia alui fluxu laborauerat, eodemq; partim tunc etiam tentaretur, quia morbus diuturnus fuerat. Quonam autem pacto cognouit infirmitatem hanc tantam fuisse, quæ potuerit phlebotomiam impedire? Certissimum est, non quamcunq; virtutum vitalium imbecillitatem præsidium illud prohibere, secus namq; nullo febriciranti sanguinem educeremus: siquidem nisi cum vulgaribus dicere velimus, maiorem pulsuum frequentiam, celeritatem, magnitudinem, vehementiam ostendere, quæ tamen sæpius imbecillitatem, mollitiem, aut alium præternaturalem cordis, arteriarumq; affectum sequuntur; aut virtutem magis validam esse credamus, cum à morbi causa oppugnatur, quam cum in naturali statu quiescit, luce clarius est febricitantium neminem esse, cuius pulsus infirmi non sint, si cum eo statu comparentur, in quo antequam cor febre teretaretur, reperiebantur. Quid igitur? Equidem dicerem, cum vires suum esse in quadam relatione habeant, validas in casu nostro pulsibus maximè cognosci, non habito respectu ad naturalem statum; quia secus, vt dicebamus, nullo penè ægrotanti sanguinem effunderemus; neque ad morbum ipsum, quem possint superare, nam tunc essent damnandæ omnes illæ sanguinis emissiones, in morborum principijs, quas mors in ijsdem principijs, vel argumentis, vel vigoribus sequitur, sed ad ipsummet præsidium vsurpandum. Quòd scilicet si illæ tales fuerint, quæ possint illud vel prorsus sine noxa sustinere, vel saltem sine tali noxa, quæ beneficium ex materiæ morbificæ euacuatione excedat, sanguinis emissionẽ permittant. Quare in casu nostro, cum & præsidium sine noxa sustinuerit, & ægrotantis salus aliqua, inde secuta fuerit, ex effectu concluderem illas tempore phlebotomiæ satis validas extitisse. Sed hæc grauiorem requirunt disputationem, quàm quæ cum Thessalo instituatur, altioremq; contemplationem quàm quæ ad HIRCVM EMVLGENDVM desideretur. Transeamus igitur ad secundam obiectionem, ad alui scilicet fluxum; Duo sunt apud Hipp. & Gal. loci, quibus fluente aluo sanguinis emissio prohibetur; Vnus

1 de plenit. 3.

est

est Hipp. (si tamen Hipp. liber. is est) 4. acutorum, vbi legitur. *Si cuiquam sanguinem auferre confert, ventrem confirmare oportet, & ita auferre.* Vbi Gal. in com. *Fluente aluo sanguinem non detrahes, nam si post detractionem perseueret fluor, virtutem prosternit.* Alter eiusdem Gal. est primo ad Glauc. vbi inquit; *Sed neque si febris fuerit cum profluuio ventris alia est opus euacuatione, verum hac sola sufficit. Quicunq; enim his plus adimere fore necessarium putantes, aut sanguinem mittere, aut ventrem mouere tentauerunt in grauiora pericula adduxerunt.* De secundo loco, quòd ibi agatur de sanguinis emissione in febribus cum ventris profluuio, nulla est difficultas, de priori forsan aliquis dubitaret, quòd dictum magis vniuersale videatur: sed si diligenter perpendamus ea, quæ ibi addit Hipp. *Et inediam præcipere, & vinum tollere, deinde congruenti victu, & fotibus humidis reliquam curationem absoluere*, quæ vt notat Gal. non omnibus, quibus sanguis missus est, conueniunt, fatemur, oportet, neque id dictum esse vniuersale, sed iis tantùm competere, de quibus antea dixerat, *corpus quieti permittere, Vngere, & æqualiter contegere oportet, ac pro potu mulsa aquosa uti, pro sorbitione autem cremore ptisana uesperi, &c.* Acutà nempe febre laborantibus, quibus non solùm inedia præcipienda est, & vinum tollendum, sed etiam innunctiones actu saltem humidæ, ad cutem aperiendam, sunt instituendæ: porro febricitantibus, quamuis huiusce morbi ratione nulla alia euacuatione indigentibus, potest tamen aliquid præter febrem contingere, quod Medicum ad venam aperiendam cogat. Detur ægrotans boni habitus pulsibus validis, tertiana à sanguine tentatus, tres vel quatuor in die habens sedes, cui supeueniat anginа. Quis Medicorum quæso in hoc casu à venæ sectione abstineret? puto nullum, fortè nec ipsum amethodum Thessalum. Aetius, & Trallianus difficultatem hanc totam resoluunt, qui in dysenteria, vbi præter febrem, ventris profluuium, intestinorum adest vlcus, & sanguinis continua exterio, nihil à phlebotomia timent, venasq; confidenter aperiunt. Horum exemplum præter cæteros multos Altimarus secutus est, penes quem argumentum hoc satis accuratè tractatum legitur. In casu autem nostro febri accedebat, præter alia non pauca quæ sanguinis missionem per se indicâsse ostendimus, loci affecti consideratio,

tex. com 116. Vide Gal. in proh. 4. illius com.

Cap 14.

tex. com. 44.

l. 9. cap. 48. l. 8. cap. 6. & 7.

l. de med. corp. malis 64.

sideratio, cerebri nempe, in quo causæ morbificæ erat focus. Quam cum Galeno magnitudinem morbi per se, ab illa distinctam, quæ à morbi forma capitur, constituere dicebamus; adeoq; per se, quatenus à febris forma distinguitur, præsidium illud indicabat. Rem clarissimo exemplo explicabimus. Detur inflammatio parua, hæc quatenus ad suam formam magnus morbus dici non debet, quare si in digito, vel alia huiusmodi parte reperiatur, sanguinis missionem non indicat. Fingamus nunc eam esse in oculo, vel in cerebro. Iam tunc ratione partis affectæ morbus efficietur magnus, sanguinisq; missionem indicabit. Idem dicere debemus in casu nostro. Quamuis febris hæc cum ventris profluuio per se sanguinis missionem non requirebat, quòd forsan illa excretione de morbi causa satis euacuaretur, superueniente tamen, præter alia, consideratione loci, in quo materia putrescebat, quæ celeriorem euacuationem postulabat, quàm cui ventris illud profluuium sufficere posset, necessaria fuit sanguinis emissio. Præterea vult Gal. profluuium absq; alia euacuatione satis esse. Quid autem si profluuio illo nihil vel parum admodum materiæ morbificæ excernatur, anne & tunc profluuium satis erit? an potius intelligendum illud tunc tantùm sufficere, cum causa morbum faciens, non alius humor euacuatur? Atqui in casu nostro ventris illo profluuio, vt ostendimus, parum, vel nihil materiæ morbificæ, multum aliorum humorum excernebatur. Neque igitur respectu febris ipsius profluuium illud erat satis, sed noua requirebatur euacuatio. Tertiò non quæuis ventris deiectio ea est, de qua dicit Gal. cum illa in febribus nullam aliam requiri euacuationem, prauè namq; secus aliàs diceret, *vbi dysenteria indicatur, id quod deficit, supplere nos conuenit.* Oportet igitur intelligat de illo tantum ventris profluuio, quod propriè tale sit, & quod ipse locis διαῤῥοίαν appellat. Est autem ex Gal. διαῤῥοία fluxus ventris, *in quo sine dysenteria, tenesmo, & tormina deiiciuntur semper, & assidue humida excrementa.* In hac namq; non in quauis alui deiectione, vires nouis euacuationibus sæpius profligantur, ægrotantesq; in periculum quandoq; deducuntur. Atqui in casu nostro talis non aderat diarrhœa, siquidem, vt demonstrauimus, rarò, tribus nempe vel quatuor vicibus in die ægrotans mollem

1.aph.20.

2.in 1.Epid. 36.

ventrem

ventrem moderatè exonerabat, quandoq; etiam rarius, vt die phlebotomiam præcedenti vnam tantum, vt dicebamus, sedem habuerit. Tandem nihil auxilium indicatum prohibere potest, nisi aliquid contraindicans. Non omnis autem ventris fluxus indicans est, neque igitur potest sanguinis missionem recti secus indicatam prohibere. Inter cætera propter quæ Gal. sæpius Hipp. ad cœlum vsque extollit, illud maximum est, quod artem curatiuam per indicationes inuenerit. Nesciebant namq; qui illum præcesserunt Medici, dum aliquis ægrotans ipsis occurrebat, cui sese opponerent, quidnam oppugnarent, cum in ipsorum vnoquoq; plura præter naturam essent. Inspiciebant morborum causas, vt pote in putridis febribus putrescentes humores, morbum ipsum, calidam scilicet, & siccam cordis, & totius intemperiem. Videbant tandem plura symptomata intemperiem hanc consequentia, actiones læsas, qualitates mutatas, excretia mutata. Hipp. primus docuit, morborum tantum causas, & morbos ipsos curationem desiderare, (indicare dixit ipse) reliqua vero Medici mentem neque ad se conuertere debere, siquidem si in symptomatibus tollendis per annum integrum in vno morbo laboraremus, morbum autem, & eius causas intacta relinqueremus, nihil prorsus ad curationem proficeremus: sicut è contra causis, & morbo ablatis, symptomata ex seipsis cadunt. Ventris autem fluxus symptoma est, quod intemperiem sequitur, illos humores producentem, qui excernuntur. Intemperies igitur non fluxus indicabit, sanguinisq; missionem permittet, vel prohibebit. At tantum abest, vt in casu nostro intemperies hæc, recoris scilicet caliditas, illam prohibuerit, vt ipsam potius, vt dicebamus, indicauerit. Dicet tamen forsan Thessalus fieri quandoque; vt & symptomata indicent, nec frustra dixisse Gal. Diarrhœam phlebotomiam impedire. Id & ego facilè concederem, adderem tamen cum eodem Gal. hoc vnicè cauendum, cum profluuium magnum est, vt symptoma vires offendat, tunc namq; illud amplius purum symptoma non est; sed causa morbificæ vicem gerit. Morbi essentia in illo affectu consistit, à quo immediatè lædunturoperationes. Id igitur quod talem affectum parit, siue externum aliquod sit, siue quoduis intra corpus, morbi causa

12. Meth. 1.

sa dicitur. Ergo & symptoma, dum vires lædit, nouam rationem causæ morbificæ induit. Tota igitur disputationis nostræ ratio, in hoc vno sita est, quod etiam citatis locis voluisse videtur Gal. an fluxus in casu nostro vires labefactauerit, necne; nam si eas sic offenderit, quatenus morbi causa, indicare etiam potuit, si secus, neque indicare, neque quod ab alijs indicatum erat, prohibere voluit. Adeo autem certum est, quàm quod certissimum, & quod non solùm ex pulsuum validitate cognoui, sed & ab ægrotante sæpiùs audiui, per debile illud de quo loquimur alui profluuium (si sic leues illę deiectiones nuncupari possunt) ipsum vel ante sanguinis emissionem, vel post ipsam, nunquam vllam virium iacturam percepisse, vt hac de re amplius disputare frustra videatur. Nisi fortè instabit Thessalus, quòd nec pulsibus, quos non tetigit, nec ægrotanti credat. Credat si placet Hippocrati & Gal. quorum ille de bonis & vtilibus deiectionibus verba faciens inquit, *si verò deiectio humida fuerit, expedit neque stridere, neque crebre, & paulatim excerni, frequens enim surrectio lassitudinem, & insomnium facit. At si vniuersim, & sæpe deyciatur, periculum defectionis animæ imminet, sed pro copia ingestorum ciborum, deyciat bis, aut ter die, noctu semel, oportet, &c.* Gal. autem qui aliàs authorem hunc mihi perperam scripsisse dixerat, & quem Dei vocem appellauerat, non veretur in commento huius loci scribere, *Cæterùm damno, tanquam supernacuum, bis, aut ter die, noctu semel, & quicquid postea scripsit.* Quasi nemini in mentem cadere posse arbitraretur, tres, aut quatuor moderatas sedes 24. horarum spacio, de deiectionum bonitate quicquam tollere, nedum vlla ratione vires lædere, aut morbum, vt causam constituere. Quare non possum hoc loco Thessalum nostrum non valde laudare, propter ea quæ scribit, *solet Gal. expedita proferre sententias, nec tamen BREVIS est explicatissimus author, cum sensus ex ipso limpidissimus constet, &c.* Nam certè tantum abest, vt Gal. BREVIS sit, qui suas propositiones explicare noluerit, vt semper, quod semel expedire dicit, alijs in locis diffuse explicet, velut in casu nostro vidimus. At illud nequeo non summoperè damnare, quòd fluxum hunc Thessalus (vt solent empirici, qui symptomatibus vt plurimum medentur) sandalis præsertim

2. prog. 14. & 15.

1. de vsu. part. 8. & 9.

cohibere tentauerit, cum & is nulla ratione indicaret, & periculum esset, ne humores ab exitu impediti, in partes principes impetum facerent, ac præterea certissimum esset eodem medicamento pituitam in cerebro, & pectore existentem validiùs coerceri, orthopneamq; augeri, & tabem per consequens introduci potuisse. Idque præsertim fecerit, ignorans an fluxus iste symptomaticus, vel potiùs criticus, aut critico similis esset, quemadmodum re ipsa magna ex parte fuisse nos demonstrauimus. Nam illud Medicum significandi instrumentum, quod vnicum se obseruasse gloriari potest, vrina scilicet, quæ domum bis vel ter ad ipsum delata fuit, imperfectè admodum significare potuit. Nam in vrinis ad crises præcipuè ostendendas primum locum Medicorum omnium consensu contenta tenent, quatenus ab earum substantia diuiduntur, & substantia ipsa à contentis separata. Atqui in tanta agitatione, quantam subire necesse est, dum per aliquod interuallum deferuntur, ita se contenta penitus cum toto humore commiscent, vt vix contingere vnquam possit, vt vllo tempore rectè separentur. Vnde valdè probamus Fernelij admonitum, qui vt vrina dilucidè possit, notas omnes exprimere, vult, vt matula, postquam vrinam exceperit, non agitetur sed *obturetur procul à sole, à frigore, & à flatu, ne vel turbetur, vel crassescat: quieta, nullaq; agitatione resideat, dum sensim refrixerit, &c.* Et infra, *si fortè frigoris vi, vel sponte sua crassescat, turbeturq;, igne leni dissoluetur, nulla agitatione, ne dissipetur hypostasis.* Thessalus autem vrinas videbat non leuiter ad ignem, sed multũ in itinere agitatas: sanè cogor rem, vt est, fateri, huiuscemodi homines his artibus (quod præsertim nullo fere naturali indicio, quæuis in Medicina se posse dignoscere profiteantur) idiotis & vulgaribus persuasisse, Medicam artem diabolicis niti exorcismis, vnde infælices Medicos continuò Necromantes arbitrantur illi, & appellant. Sed tempus est, vt ad tertiam obiectionem, ad morbi inquam diuturnitatem, descendamus. A qua sicut à cæteris nos paucis expediemus, cum iam per ea, quæ hactenus diximus, quid ipsis respondendum sit, fere pateat. Equidem miror, quid in mentem venerit Argenterio dum apud Hippocratem, & Gal. credidit morbum magnum, vel validum phlebotomiam indicantem, eundem

3. Patholog. 9

esse

esse cum acuto, *Est autem vehemens morbus* (inquit ipse) *vt postea ostendemus, qui validè, & paruo temporis spacio affligit.* Nam vt concedam, quod dicit ipse, quandoque Gal. acutos morbos magnos appellâsse, & aliquos motus, dum inter cęteras conditiones celeritatem obtinent magnos, & vehementes dixisse, an ex hoc sequitur penes ipsum magnum, & acutum in morbis sanguinis missionem desiderantibus idem esse, omnemq; magnum morbum illico & acutum existere? Sed quid quòd Gal. cordis diuturna palpitatione laborantibus, podagricis, arthriticis, epilepticis, & sexcentis huiuscemodi ægrotantibus, quandoque etiam singulis annis sanguinem effundit, anne & hi acutis morbis premuntur, vel affectiones illæ acutorum morborũ sunt symptomata? Attamen magnum morbum semper principalem mittendi sanguinem rationem appellat. Nos verò totam hanc controuersiam de magnitudine morbi quandoq; (Deo fauente) accuratiùs pro viribus disputabimus. Interim nobis sufficiat vnum Galeni locum adducere, vbi clarissimè ostendit diuturnitatem, vel breuitatem morbi ad phlebotomiam non facere. *Optimum igitur factu est* (inquit ipse) *statim, non numero dierum, sed vni virium robori in febribus eius generis* continentibus *attentum esse, quippe quod, si seruatum est, non solùm sexto septimanæ sed etiam sequentibus diebus sanguis est mittendus.* Quod si in continentibus febribus, quæ acuti morbi sunt, norma emittendi sanguinem à dierum numero non capitur, cur dicemus acuitatem ipsam, quæ per dierum numerum maximè constituitur sanguinis emittendi normam esse? Quare aliàs author is Hippocratem probat, qui spreto dierum numero Anaxioni pleuritide laboranti octauo die sanguinem eduxerat. Vires igitur, non diuturnitas sanguinis emittendi norma sunt, illæ verò quandoque in morbis, quantumlibet diuturnis, validæ sunt, vt in casu nostro fuisse demonstrauimus, tuncq; phlebotomiam nulla ratione impediunt. In quarta autem obiectione, dum ad symposiarchas se conferens, aduersus phlebotomiam in casu nostro indicationum absentiam profert, se vtique Thessalus Thessalo peiorem ostendit, qui nequierit in medicina distinguere, inter vocatum non esse, & vocatum non admitti. Demonstrauimus namq; nos (nisi nos omnia prorsus fallunt) luce clari-

1.cit.c.19.

5.de loc.affec.2. lib cur. per sangu. miss.10.

9 Meth.5.

3.in 3 Epid. 79.vide lib. curat.20.

clarius in proposito casu decem fuisse, quæ ad hanc indicationem constituendam vel per se, vel per accidens concurrerint; nimirum scilicet iecoris intemperies, febris ipsa, huius antecedens causa præcipuè verò sanguis, obstructiones, solidæ habitus principium, locus affectus, plenitudo aliqua quoad vires, hæmorrhoidum retentio, & futurus validiorum abstergentium usus. Quid quæris plura? Sed cum dixeris vires, fluxum diuturnitatem probabuisse, vult intelligamus, nec morbum, nec quodvis aliud inquietasse, nec remedium vocatum fuisse. Quæ absurdissima cuiuis vel tyronis, qui summis labijs Medicinæ doctrinâ degustasset (ne dicam spongiarchæ ipsi) nauseam moverent, sed unum iam apponere, nec ab his aliquem impedimentum fuisse demonstrauimus, ad alia pergendum. Quinò igitur lactis vsus, nobis defendendus occurrit, è quo duplicem Thessalus formabat obiectionem, vnam, vt diximus, virium imbecillitatem probando, vt hinc sanguinis ipsam missionem damnaret, alteram, qua nouum errorem nobis tribueret, quòd scilicet (vt arbitror) illo superpurgationem excitassemus. Ad quarum vtramq; me iam satis respondisse arbitror. Offendi namque cum Hipp. & Gal. caprinum lac in alium statim vsum venire, quàm ad vires restaurandas, docuiq; me ad pituitam è pulmonibus educendam, ad intestina lubricanda, ad exulcerationes abstergentium, & abstergentium vires calidas & siccas corrigendas præcipuè illud vsurpâsse. Dixi præterea lactis vsum hic nullam superpurgationem induxisse, cum abeo, vel si bolos sumpto, nunquâ supra tres sedes ægrotans, dies naturalis spacio, habuerit; sed quis est qui ignoret lactis vsum familiarissimum esse in dysenteria, ab ipsoq; grauissimos, authores nullam superpurgationem timere? legat qui in hoc argumento plura cupit, quibus ipso, non in dysenteria modò, sed & in diarrhœa, cum tussi quoq; infestissima in suis epistolis Medicinalibus doctissimus scribit Augenius, vbi longum obseruabit scriptorum catalogum, qui in huiusmodi casibus ipsum probant. Nobis satis sit addere, Quibas Iunium Rufum, præter Actium inter externa vsurpasse, quæ hinc alimento adsciuit, hanc unam illi dare, mirum est eum, nostrum sagacem, quòd quotidiani humores nec vnquam cruenti, nec alium crassioribus suis partibus esset. Verum nec hoc nos per multos dies præpinauimus,

tom. 1. l. 10. Ep. 3.
tom. 2. l. 12. Ep. 5.
l. 2. cap 61.
l. 9. cap. 45.

nimus, sed tussis violentia superatâ, cessanteq; necessitate nimis calefacientium, statim ad moderatè calida attenuantia cum cichoraceis tantùm deuenimus. Quòd autem sextò funestam tussim nobis apponit Thessalus, certè ridiculum est. Quid enim quæso tussis vehementia magis indicabat, sandalos adstringentes, quibus crassa pituita in pulmonum bronchijs magis, magisq; cogeretur, vnde aucta continuò tussi vires etiam magis magisq; prosterneretur, an potius sanguinis emissionem, qua ad aperientia vias nobis pararemus, vt tandem à farcina, qua premebantur, pulmones liberaremus? Ego igitur magis phleboromia tussienti simopitulatus, quàm sandalis Thessalus: sed iam vltimò nobis sese offert tabes *præ foribus, si non in limine*. Cum autem huius vocis *tabes* plures sint significatus, si intelligat tabis periculmu instâsse,

1. in 1 epid. 17. & 18. quòd facilè ex pituitæ stillicidio, tussisq; vehementia, vas abrumpi, pulmonesq; exulcerari poterant, vnde illa tabis species oriretur quæ idem cum phthisi, & pulmonum vlcere est, rectè sensit; sed malè postea inde colligit sanguinis emissionem præuè instituram fuisse, nam tantum abest, vt in hoc sensu tabes præsidium illud prohibeat, vt ad ipsam præcauendam, vel etiam curandam

5. Meth. 8 &c. Gal. sanguinis emissionem quandoq; iudicet summè necessariam. Vasa namq; exinanita minùs extenduntur, quare conculsionibus difficiliùs rumpuntur, si nondum rupta sint, veluti in casu nostro non erant, vel rupta facilius clauduntur, & obturantur.

2. in 1. epid. 13. Quòd si per tabem Thessalus extremam quamcunq; intelligat corporis emaciationem, quia hæc, siue torridus fit marasmus, siue

1. de diff feb. 8. & 9. marcor ille, quem senium ex morbo appellant, supponit, iam totam humiditatem, quæ in cordis corpore continebatur, esse absumptam, oportet distinguamus. Nam si dicat ægrotantem nostrum fuisse in remota tantùm ad tabem dispositione, nihil tunc nos, à sanguinis missione impediebat, sicuti pectoris angustia, pituitæq; stillicidia quæ ex Hipp. sententia homines ad tabem propensos reddunt, neminem impedium, ne quandoq; venias aperiri. At si per hanc dispositionem proximam ad tabem intelligat potiam, veluti velle videntur illa *præ foribus, si non in limine*, iam falsa est, ægrotantem nostrum in tali tunc fuisse dispositione. Necessarium namq; est, si ad talem tabem in hoc casu proxima adfuisset

potentia, vt ægrotans iam hecticâ in secundo gradu laborâsset, si enim, vt dicebamus, tunc tantùm tabes præsens est, cum humiditas in corde contenta (ros appellatur) actu est consumpta, tunc tantùm ad tabem potentia proxima erit, cum hæc humiditas actu consumitur: potest autem ipsa duplici ratione consumi, vel scilicet ficca intemperie cum frigiditate, vel ficca simul, & calida constitutione. In hoc autem casu omnis persuadet ratio, cum iam cor ex putrida febre caliditate, & siccitate quoquo pacto premeretur, vt per calidam & ficcam potius, quàm per frigidam & ficcam intemperiem humiditas illa absumeretur; dum verò sic eo cor inficitur, vt humor in ipso contentus non modò effervescit, sed & conficitur, ex Gal. hectica, & secundi ordinis adest. Atqui quamvis nos, vt superiùs docuimus, pulsus diligentissime considerauerimus, nullam tamen duritiem in ipsis obseruauimus, quod ferè solum esse poterat signum, quo hecticam hanc dignosceremus. Notæ namq; illæ, quas Gal. hecticarum maximè proprias appellat, caloris scilicet quouis tempore vniformitas, & acrimonia, illiusq; ab ægrotante insensibilitas à putrida febre perturbabantur, vt, etiam si adfuissent, recte non potuerint dignosci. Hoc vnum igitur satis validum nobis sufficiat aduersus Thessalum argumentum pulsuum nullam fuisse duritiem. Cui si addemus eorundem validitatem, & altitudinem, ac in ægrotante à cibo, nec calorem illum, quem Gal. hecticis communem ostendit, nec aliud huiusce modi obseruari potuisse, satis, vt opinor, & plus quàm satis ostendimus nullum *præsentibus* tabem, nedum *in limine* fuisse. Et hactenus Thessalo MVLCTRAM frustra supposuisse satis sit. Quo labore defũctus, possem huic scripto finẽ imponere, nisi quòd non nullos puto adhuc intelligendi cupidos, quo statu hoc tempore æger iste sit, quidq; de vltimo morbi euentu expectem? Etsi igitur ex quo sanguinem detraxi, quod parum vltra mensem est, & liberè spiret ipse, & non erecto thorace, sed consueta positione dormiat, & non nimis à tussi infestetur, & sputamina satis concocta, nec tam vi prius copiosa excernat, & per domum ab omni febris suspicione immunis ambulet, & ventriculo sic satis sit firmus, ego tamen nequeo certam salutem polliceri; nec adhuc non parum de tota curatione dubitare: frigida illa

3. de præsag ex p. 13.

3 de præs. 7.

cerebri intemperies in habitu est, vnde tanquam à perenni fonte continuò plura effluunt excrementa, quæ in aliquam (si in vnam tantùm) inferiorem irrumpant partem necesse est, dum omnia simplicibus expuitionibus, vel per nares non excernuntur. Hanc superare difficillimum est, cum præsertim synapismorum vsus pro capite periculosus sit, ne illa quoq; materia, quæ per hæmorrhoides defluere solebat, iterum in caput trahatur, calida verò, & sicca interius exhibenda à totius corporis constitutione non facilè permittantur. Catarrhus autem ipse, quamvis nunc pedes minus offendat, in ipsos tamen quandoq; cecidit, quo cum per spissam medullam descendere debeat, nihil esset mirum, si eadem via, vt docet Gal. in pulmones iterum laberetur, orthopnœam reuocaret, tabem etiam tandem introduceret. In ieiun quoq; per ventriculum impetum fecit, vnde semel, vel bis postquam in meliorem statum ægrotans redactus fuerat, inappetentia per totam diem laborauit, simulq; vrinas cum crassissimis sedimentis minxit. Quæ si in illo viscere, præsertim cum melancholicæ sint, de quo dicebamus, detinerentur, quis non videt, sublato panis calore, præsertim frigido ventriculo, hydropis periculum imminere? Quare difficillima est, & periculis vndequaq; plena integra curatio. In qua concludere possim maximè verificari illud Hipp. *Nec solùm seipsum* Medicum *præstare oportet optima faciente, sed & ægrum, assidentes, & exteriora.*

1. in 3. epid. 4

1. Aphor. 10.

FINIS.